

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Theologica De Contemptoribus Coenæ
Dominicæ**

Schelwig, Gottlieb Schelwig, Gottlieb

Gryphiswaldiæ, MDCCVI

VD18 10149872

urn:nbn:de:gbv:45:1-13693

Differtatio Theologica
De

CONTEMPTORIBUS
COENÆ DOMI-
NICÆ,

Quam

In Academia Gryphica

Sub Moderamine

Summe Venerabilis in Christo Patris,

DN. D. JO. FRID. MAYERI,

Ord. Theol. Sen. & h. t. Decani, ac Rect.

Acad. Magnifici,

ad D. IX. Oct. A. Æ. CHR. M DCC VI.

PRÆSES

M. GOTTL. SCHELGUIGIUS,

S. Theol. Baccal.

Publico Examini

sistet,


Defensuro,

Gottlob Sebald Volk!

Pinnov. Pom.

Gryphiswaldie, Typis GEORG. HENR. ADOLPHI, Reg. Acad. Typogr.





Faint, mirrored text from the reverse side of the page is visible through the paper. The text is mostly illegible but appears to be a list or index of items, possibly related to a library or collection. Some words like 'M. GOTTLIEB' and '2. Theol.' are partially discernible.





GUBERNANTE SALVATORE!

De
Contemptoribus Cœnæ Dominicæ,
DISSERTATIO.

Præfatio.



Um haud ita pridem L. B. *ex consensu Summe Venerandi Theologorum in hac Academia Ordinis*, mihi in solenni Patrum Conscriptorum Panegyri benevole collati sint, *primi in Theologiae studio Honores; quos Baccalaureatus nomine insignire solemus*: nolui ab hac Alma studiorum Matre, *dulcissima Gryphia*, ante discedere; quam pro Jure ac Privilegio, una cum hoc honoris titulo mihi concesso, publica dissertatione Theologica, in superiore *cathedra*, *me Presidem* stitissem. Cogitanti vero mihi, & seriò sollicito, de digno, quod explicarem, argumento, piissimæ querelæ, quas ex ardentissimo quodam, pro emendandis pessimorum quorundam moribus, & puniendo impio, nonnullorum perfrictæ frontis hominum, Sacrosanctæ Eucharistiæ contemptu, dum in publico templi suggestu, pro concione Orationem Dominicam interpretaretur, *Reverendissimus Pomeraniae Suecicae Antistes, Dn. D. MAYERUS, Moderator colloquii hu-*

jus summe venerabilis, & nunquam non religiose colendus, tertia ab hac Dominica die contestabatur, ansam suppeditabant, insistendi huic negotio, & *de Contemptoribus Cœnæ Dominicæ*, brevissimis Aphorismis differendi. Mireris enim, & cum lachrymis mireris: apud multos hodie, qui tamen Christiani nomen præ se ferunt, ardorem hujus Christi Testamenti usu fruendi, non modo refrixisse; sed penitus elanguisse, imo, ut dicam, quod res est, evanuisse. Cum eò, proh dolor! res redierit: ut non desint, qui à Sacramento hoc summe venerabili adeo abhorreant; ut de frequentatione S. Cœnæ vix cogitent, atque hinc per annos sane plures, eodem non utantur. Equibus dictis simul constabit: ad Practicam Theologiam, quam etiam Casualem vocant, Commentatiunculam hanc nostram referendam esse. Cui & ipsum tractandi modum accommodabimus. Ita tamen, ut nec ex Polemica Theologia, hodiernorum præprimis Fanaticorum Indifferentistarumque deliria, quæ viam huic impiissimo beneficii divini, non satis deprædicandi, contemptui aut neglectui sternunt, maneant intacta, sed placidissime ante refellantur. Ad Dei opt. Maximi sanctissimum thronum supplices devolvimur, ut gratiam suam labori nostro clementissime largiatur; eumque in sui gloriam divinam, & vitæ, morumque proximi emendationem vergere jubeat.

§. I. Inter varias partim S. Codicis, partim Scriptorum Ecclesiasticorum, quos Patrum titulo, reverentiæ ergo, vocamus, appellationes, quibus Testamentum hoc divinissimum nominamus, nobis placuit idem *Cœnam Dominicam* appellare. Quod nomen, quam incau-

caute Lojolita ille, *Jo. Maldonatus*, in comment. ad Matth. XXV. 28. & Joh. XIII. 2. novitatis alicujus in verbis accuset, & illud ab Apostolo quoquam adhibitum fuisse protervè neget, nosque proinde Linguæ Reformatores nominet: ex eo patet, quod illud in verbis *Pauli* 1. Cor. XI. 20. sit fundatum: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Cœnam Dominicam, δεῖπνον κυριακὸν manducare.* Cujus loci dignitatem adversus ineptias *Jesuitarum Dillingensium*, statuentium, quod de vulgaribus tantum epulis hic Apostolo sermo sit, nec eundem ad S. Eucharistiam posse vere applicari, quam solidissime defendit, *B. Jo. Gerhardus*, *Loc. Theol. T. V. de S. Cœna, c. I. §. 3. p. 2.*

§. II. Si appellationis rationem requiris, dabit tibi eandem ipsa institutio sanctissimi Epuli, facta à Christo post cœnam vulgarem, & Agni Paschalis esum, nocte illa, qua in manus protervi proditoris, Judæ Ischariotæ est traditus. Ubi nulli curamus sententias *Embdensium Calvinianorum* in *Bericht* p. 83. decertantium: quod figurata tantum sit in verbis institutionis locutio, Christum instituisse Cœnam noctu; cum minime noctu, sed vesperi sit instituta. Id quod *Berolinenses Reformatores* in *Dial. contra B. D. Matthiam Hoe* p. 144. quoque movit: ut tanto conatu strepituque negaverint; Christum luminaribus in prima cœnæ administratione fuisse usum. Quod enim absque omni tropo, frustra hic quæsito, sint accipienda, ut stant, Apostoli verba, clarum est ex eo quam amplissime: quod ad Dei institutum, in veteri Fœdere datum, *Exod. XII. 6.* Agnus Paschalis inter duas vespas debuerit celebrari, unam, quando sol ad occasum declinat, alteram, quando jam occidit, solisque occidentis



lux in nubibus relicta evanescit. Quemadmodum hoc ad mentem *R. Aben Ezra*, *Valent. Schindlerus*, *Lex Pentagl. Voce ערב* p. 1381. & *Aug. Varenius*, de *Agno-Paschali* concl. XIII. seqq. explicant, in aliam licet circa quasdam circumstantias illustrandas explanandasque partem abiente 70. *Lundio in den Jüdischen Heiligthümern*/L. V. c. II. n. 45. quam controversiam jam nostram non facimus. Dum vero post esum Agni hujus, cœnam demum instituerit hanc sacram optumus Salvator, utique noctu illud factum fuisse, exinde prona consequentia fluit.

§. III. Sed autem nullo crimine notari posse piam Matrem, Ecclesiam nostram, quod, etsi matutino tempore, aut circa meridiem celebretur, hoc epulum, tamen haud ineptè cœnæ titulum retinuerit, demonstrari, probarique potest facile his argumentis: Quod in hac denominatione, non ad hodiernæ celebrationis, sed primæ institutionis tempus respiciatur, cum, ut illud eo melius plebi in memoriam revocetur, plurimis locis sub communionem soleant Cerei quoque accendi; tum verba Evangelistarum de vespertina cœnatione hujus Sacramenti, non determinatum de tempore administrationis debitæ mandatum, sed nudam tantum historicam narrationem contineant; & deniq; omnes instituti Epuli circumstantiæ, inter quas & temporis cura recensenda, nunquam ad essentialia Sacramentorum pertineant, nisi divino jussu fuerint in verbis institutionis expressa. Plane itaque ad rem faciunt verba *Dominici de Graminea* in *Thesauro* I. de *Eucharist.* citata à *B. Dorscheo* in *Considerat.* §. 22. *Cœna Domini*, inquit ille, *adpellatur, non quod vel illa tantum hora, vel quod non nisi ab* epi.

opipare saturis & vino ebris celebrari debeat, sed quia hæc, quæ nunc celebratur in Ecclesia, eadem est, quæ celebrata fuit à Christo & Apostolis, licet non eodem tempore & hora celebretur. Criminationes vero, quas ex tremula Quackerorum cohorte, hanc ob causam evomunt Peter Hendricksz in severa reprehensione Anabaptistarum p. 9. n. 7. nostros sua lingua Batava interrogans: Ende wat regel ofte Voorbeeldt hebt ghy in de Schrift, om het Avondmael op den Middag te eeten? Toont het eens uyt de Schrift, indi en ghy kont; & Philaletha Pseudonymus contra Wincklerum p. 255. scribens: Mit was Recht aber heut zu Tage diejenige/ so in Absetzung dieses von dem Herrn Jesu gehaltenen Abend-Essens/solches nachzuthun/dasselbe zum Theil des Morgens/ als in ein Frühstück oder Morgen-Brodt/ theils in ein Mittags-Mahl/ nach eigenem guten Belieben verändern/ ist wunderbarlich. Unterdessen muß es doch gegen den augenscheinlichen Unterscheid des Tages und der Nacht/den Nahmen Abendmahl behalten/ confutatas reperies in Parentis nostri charissimi, SAM. SCHELGUII Quack. Conf. Art. XXIV. Antith. Orthod. III. p. 400.

§. IV. Ut vero ostendamus, cur matutinum tempus huic sacro negotio sit destinatum, certè illud ad Eucharistiæ distributionem commodissimum videbatur, quod tum magis simus sobrii, & mentem rebus eximiis percipiendis, pertractandisque magis possideamus, experiamurque idoneam & attentiozem; qua de re porro elegantissimum locum suppeditabit *Augustinus T. II. Oper. Epist. 54. (quæ alias 118.) c. VI. p. 123. edit. Paris. studio Monach. S. Benedicti è Congregat. S. Maur. 1688. Habet quidem hæc res male quoque Nonneminem Anonymum*
Fana-

Fanaticum, ad nauseam usque tenacem verborum institutionis & in circumstantiis Defensorem, qui in Commentariolo quodam, anno 1700. Lipsiam, ut typis ibidem exscriberetur, transmissio, inter abusus, ut vocat, S. Cœnæ, hanc Ecclesiæ consuetudinem numeravit; & hoc modo, quod Epulum Christus Cœnam instituit, à nobis *in prandium & jentaculum impiè mutatum esse*, ut Quakeri, dixit; ac pro necessitate hujus circa tempus circumstantiæ, non negligendæ, *ad verba institutionis, ibique ad Christi actionem*, quæ nostra sit institutio, & *Augustini*, de nonnullis Africæ populis & Ægyptiis quibusdam, suo tempore vesperi demum S. Cœnam sumentibus, *testimonium* in Epist. ad Januarium, provocavit. Sed ignorasse, aut ad minimum non circumspectè attendisse nobis Autor ille, quisquis sit, videtur: hunc esse canonis illius, de Christi actione, ceu nostra institutione, sensum atque tenorem: Quicquid Christus egit, utilem aliquam doctrinam nobis præstat: sed tamen non est omne ad imitationem nobis propositum. Cum alias sequeretur, nonnisi accumbendo more Orientalium, idq; cum duodecim hospitibus, & quidem semper in privatis ædibus, aut etiam publicis diversoriis, cœnam administrandam esse. Quemadmodum id Christum, cum duodecim Apostolis, in diversorio urbis Hierosolymitanæ publico, celebrasse, ex Evangelistarum Historia clarum est. Testimonium *Augustini* repudiare quidem non possumus: cum ex Historiæ Ecclesiasticæ Scriptorum monumentis constet; veteres in primitiva Ecclesia, tempore jejunii, quando totum diem precibus, canticionibus & hymnis sacris impendebant; cœnam Domini

ni sub noctem agitasse. Sed illam, quam augustissimus *Hipponensium Episcopus* testatur, celebrandi consuetudinem, postea per VI. Synodum, quæ fuit Constantinopoli in Trullo, (hoc est in Secretario Sacri Palatii, ideo fortasse sic cognominato, quod ipsum Secretarium, ejusmodi Trullo fastigiatum, testudine fursum erecta, sua rotunditate hemisphærium conficeret; uti *Baronius* ad A. 680. commentatur) sublatam esse, constat. Lege, Historiam hujus Synodi, quæ Sexta generalis & Constantinop. tertia vocatur, & A. C. 680. sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato habita fuit, T. XVI. Concil. edit. Paris. 1644. p. 24.

§. V. Deinde, quod Christus seram vesperam destinaverit huic Sacramento: debuisse fieri contra Adversarium, urgemus. Quia prius voluit comedere Pascha; & deinde post vetera nova instituire. Quod vero postmodum nonnulli hoc tempus retinuerint: accidisse vel ex opinione, rem hanc liberam atque indifferentem esse; vel ex periculo persecutionum, ubi non nisi clandestinos & nocturnos conventus hostium insolentia permittebat. Hæ vero causæ, cum hodie locum non habeant; nihilque nobis ex DEI clementia, sit timendum: in voluntate & arbitrio Ecclesiæ situm erit, vel matutinum, vel vespertinum tempus huic actui celebrando eligere. Tandem vero, quod Anonymus ille nobis objicit: *non statim sequitur*, si manè vel prandii tempore, vel sub meridiem porrigatur, *cœnam hanc mutari in jentaculum vel prandium*. Cum Sacramentum hoc cœnæ Domini denominetur à prima institutione. Veluti in V. T. Sacramentum Agni Paschalis, dicebatur Pascha

B

à

à $\pi\sigma\beta$ h. e. transitu semel in Ægypto facto. Nectamen oportuit quotannis in celebratione Paschatis ejusmodi fieri transitum Angeli: qualis in Ægypto contigit. Conf. de cæteris objectis hujus Anonymi eruditiss. Dissert. *Celeb. Dn. D. Ittigii* hab. Lips. 1700. sub. Tit. ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΣ Hypothes. Nonnemini de S. Cæna.

§. VI. *Dominica* quod audiat *Cæna*: fit illud, tum intuitu autoris ejusdem, Domini nostri Jesu Christi, à quo instituta est, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 23. atque hinc ab Apostolo $\delta\epsilon\iota\pi\tau\omicron\nu\ \kappa\upsilon\beta\epsilon\lambda\lambda\omicron\nu\ \kappa\omicron\nu\delta\omicron\nu$ denominata; tum ratione Ciborum plane sanctissimorum, qui convivis distribuuntur, epulumque hoc à vulgaribus cænis, prorsus singulariter distinguunt; quando ipsum verum corpus, & ipse verus sanguis ipsius Dei Filii dilecti & unigeniti, pro salvando hominum genere, & placanda ira Patris divini, misere crucifixi, peccatoribus ad comedendum bibendumque porrigitur; tum respectu finis cujusdam, in quem à parte instituentis celebrari debet, in memoriam scilicet cruentæ Domini nostri, dulcissimi Jesu, mortis, pie semper recolendæ & annuntiandæ, 1. Cor. XI. 26. tum denique intuitu temporis, quo administrari celebrarique, diebus ut plurimum Dominicis, jam in Apostolorum Ecclesia consuevit, Act. XX. 7. & in nostris conventibus publicis adhuc dum celebratur.

§. VII. *Contemptores* S. Cænæ quos in præsentī dicamus, paucis adhuc expediendum erit, antequam ad cætera pergamus. Solent quidem præ aliis hoc nomine notari, qui contemptim de illa sentiunt, loquuntur, aut eandem blasphemant; quemadmodum Arabum Medicus

dicus atque Philosophus *Averroes*, stultissimam in orbe Christianorum sectam, qui suum comederent DEUM, vocasse, *Julianus* Apostata vero, hoc intuitu rem abominandam dixisse fertur, vivum corpus comedere, vivum velle sanguinem ebibere. *Theophrastum* alicui, valde decumbenti, opem suam ex eo denegasse legimus, quod S. Cœna hac usus fuerit. Ut taceam, quibus blasphemis, & horrendis dictu verbis, *Bernardus Rottman* Anabaptista fregerit, & in terram projecit panem orbicularem. Non pœnitebit hac de re evolvere *B. Sam. Edellii*, Past. quondam Ulmenfis ad S. Trinit. ædem, Thef. Catech. Part. IX. & plane solida cura conscriptam Homil. I. in cap. V. Catech. Luth. de Cœnæ Domin. Commendatione. Ubi interrupto ordine, longoque numero reperies Hæreticorum Schismaticorumque sententias impias, adductas atque collectas: quibus sacram Cœnam contemptim habuerunt. Ut adeo nos hoc negotio facile hinc superfedere possimus. Sed, non illi tantummodo, qui sentire solent pessime de hoc sacramento, contemptores vocandi; quos Theoreticos diceres: verum & illis hic titulus cedit; qui hoc in salutem humanam divinitus constitutum, ordinatumque Epulum accedendi, & eodem scœpissime fruendi, negligunt spernuntque: Id quod verbis *B. Megalandri* nostri *Lutheri* Catech. Maj. p. 561. probare annitimur: *Cæterum hoc ego* inquit ille, *voco sacramentum contemnere, quando nullo impedimento præpediti, tanto tempore, Sacramentum quasi fastidientes, non accedimus, neque desideramus.* Idem in præfat. ad Catech. Min. illos simpliciter Sacramenti contemptoribus; Practicos intellige, annumerat, qui eo ad minimum ter aut quater quotannis non

utuntur. Quod enim quis data opera negligit, illud hoc ipso contemnere certo præsumitur. *B. Frid. Balduinus* Cas. Consc. L. IV. c. 9. cas. 4.

§. VIII. Non vero sine ratione, sed circumspectè Beatissim⁹ Pater *nullo impedimento præpeditos* voluit, qui jure Contemptorum S. Cœnæ numero associari mereantur; Cum certe non omnes, qui non accedunt ad Domini Mensam, statim sint ejusdem Contemptores. *Sed quod illud sit impedimentum, quod arcere quem possit ab hujus sacramenti usu?* quærere juvabit; quo eo cautius in definiendis hisce Contemptoribus, procedamus. Liceat autem statim hac de re *B. Hier. Welleri à Molsdorff* accuratum judicium, Opp. Lips. 1702. collectim edit. Tom. Lat. Sect. III. p. 103. Tit. quomodo confirmandi sint &c. his verbis conceptum allegare. *Multi sunt vere pii, qui tamen rarissime cœna Domini utuntur. Ajunt enim se modo hac tentatione, quod non satis digni, nec parati sint, modo alia impediri.* Non poteris verò hos, quotquot errore tali implicati, aut tentatione quadam artibus Diaboli seducti, aut alia ex causa non statim contemnenda, usum S. Cœnæ suspendunt, pro Contemptoribus habere, usque dum rectius de errore, scrupulisque conscientiæ erroneæ sint informati. Quam ob rem debitæ argumenti nostri illustrationi multum inferviturum putamus, si jam ordine Casus erroresq; Conscientiæ circa neglectum usus Cœnæ S. recenseamus, tum Theologorum, in hoc studiorum genere maxime exercitatorum, sententias de illis evolva-
mus, & quomodo eidem à verbi Ministro & Confessionario, si accidant, sint solvendi, ostendamus.

§. IX. Generatim omnes illos, qui conscientiæ te-
ne

neritudinem quandam prætendunt, quæ, quo minus fiant hospites sacrosanctæ hujus mensæ, multis scrupulis dubiisque excitatis, urget illos aretque, hac pia consolatione ad Communionem hortandos esse, *Vir celeberrimus VVellerus*, quo hac in re vix afflictio-rem, vix fortio-rem possedit Ecclesia nostra, cit. loco monet: Quod omnes istæ cogitationes, omnes illi angores animi, à Diabolo certo oriantur, qui hoc dulcissimum, uberrimum-que languentis fidei remedium, *hanc animæ Vitam, mentisque sanitatem*, quemadmodum *Cyprianus*, Serm. de Cœn. & L. 1. Ep. 2. Eucharistiam vocat, omnibus modis deformare conatur. Idcirco, si velint cupiantque accedere ad hanc salutarem Synaxin, ad hoc animæ opimum pabulum, varia objiciat impedimenta, ut modo de necessitate hujus communionis; modo de propria dignitate, frequentandi eandem; modo de præparatione, an queat illa convenienter satis DEI mandatis institui; & quæ cætera plurima sunt, dubitare, modo ita ab usu hujus Epuli abhorre incipiant, ut malint per flammam per-rumpere, & quidvis potius audere, quam S. Cœnæ con-vivas se sistere; hinc procrastinari, cunctari, morari vi-deas, quam accedant ad Eucharistiam. Quod si hoc per-suasi fuerint illi tentati, fidemque adhibuerint informa-tioni Confessionarii, cui animæ suæ curam concredide-runt, commemoranda esse Exempla eorum, atque pro-ponenda *piissimus Vir* existimat, qui quo diutius mensam Domini invisere cunctati, procrastinatique sunt, hoc magis magisque ex aliis in alia impedimenta incidisse. Id quod *Doctoris Lutheri* exemplo singulari constat, qui hac quoque tentatione se à Diabolo, ut differret commu-

nicare, agitatum esse, sed vicisse tandem cruciatus illos, & se debellasse astutas Sathanæ fraudes, ipse confitetur; illudque quidem iterata, & uno biennio, plus decies quater S. Cœnæ repetita frequentatione; Cui in fide constantiæ, succumbere demum coactus fuerit infensissimus Hostis. Ipsius *Welleri nostri* exemplum addi meretur, qui eodem consilio pessimos Diaboli insultus, per summi Numinis auxilium felicissime se confudisse, gratissimus gloriatur. Immo de Triumpho hoc fauste obtento afflictissimum hunc Theologum sibi ipsi congratulatum fuisse, his ejusdem verbis patet: *Quid multis? Tentationes mee effecerunt me Theologum. Juvat igitur cum his monstris inferni luctatum & ita humiliatum fuisse.* Ipse, quod observes, extremorum vitæ suæ quatuor annorum spatio, scilicet ab A. 1568. d. 19. Mart. ad d. 28. Febr. A. 1572. quo obiit placida morte, plurimis iisdemque gravissimis tentationibus probatus Theologus, quinquies quater hoc sacro & dulcissimo cibo publice usus est: Uti hoc diligenter manu sua annotavit, additisque semper quas excepit, peculiaribus ad DEUM precibus laudibusque, posteritati reliquit. Vide Tom. Germ. Opp. Well. Sect. II. p. 42. & conf. *Magnif. nostri Dn. Mayeri würdigen Communicanten*, p. 498. sqq. *Henr. Ansh. von Ziegler Schauplatz der Zeit* f. 292. nec non ipsam *vitam Welleri*, Operibus ejusdem ab Editore M. *Christ. Fridr. Lemmelio*, cum studio præmissam.

§. X. Postea juvabit quoque rationes cumulasse, quæ urgeant omnem Christianum, sollicite sui curam habere, ne omittat, negligatque hanc saluberrimam angorum conscientiæ medicinam, iterato S. Cœnæ usu sibi comparare. Sunt autem illæ: *Primo ipsa Christi vo-*
lun-

luntas: τῆτο ποιῆτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Hoc facite in mei memoriam. 1. Cor. XI. 24. 25. Ut scilicet summi favoris, quo nos, suos hostes, peccatoresque æterna morte dignissimos, amplexus, ineffabilisque amoris illius, & per tot cruciatu, ad cruentum usque mortis genus, quod in cruce perpeffus, ut pro nobis satisfaceret, nosque æternum salvaret, mire constantissimi, desiderato sanctissimæ Communionis usu, gratoque animo recordemur; *Secundò* expectanda inde atque fruenda, *peccatorum* nostrorum omnium, clementissima *remissio*, vita, justitia, & salus; Ubi enim remissio peccatorum est, ibi est & vita & salus. *Hæc sunt illa verba*, inquit *Lutherus Catech. Maj. de Sacr. Alt. p. 564. perquam amica & amabilia, humanitatis ac benevolentia plenissima. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur, in remissionem peccatorum. Quare fac etiam atque etiam, ut & te in hæc verba (PRO VOBIS) includas, ne nequicquam tecum loquatur. Hic enim omnes thesauri sui nobis offert divitias, quascunq; cœlitus secum humano generi detulit: ad quas etiam alias amicissime & amantissime nos provocat Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Matth. XI, 28. Tertio, imminens anima nostræ periculum, quo nulla die, nulla hora, immo nullo momento tuti sumus, quin irruente morte ad reddendam vitæ nostræ ante summum omnipotentis Judicis tribunal, exactam rationem, improvise citemur atque vocemur, Luc. XXI. 34. 35. 36. ut adeo, quo invincibili S. Eucharistiæ tutamine & vitæ æternæ viatico, fortiter nos muniamus, justissimam semper causam habeamus. Quarto, fidei nostræ confessio, quæ usu S. Cœnæ in publico Fidei fociorum*

rum

rum conventu edenda est; Cum nostrum in fide semel agnita & amplexa constantiam, promptissimumque animum eadem polliceatur, pro honore Salvatoris nostri benignissimi, cui sacro juramento in Baptismi Sacramento nos obstrinximus, & durissima quæque patiendi, perferendi, obdurandi. Denique *quintò, bonum omnibus exemplum dandum*, quod alios ad simile opus salutare patrandum excitet, ne hujus vel illius procrastinatione, accedente statim Diaboli, nunquam non cunctantis, malitia, aut plane à frequentatione Sacramenti Altaris arceantur, aut ad minimum offendantur. Quæ omnia cum ita sint, hæc, verbis iterum *Lutheri*, l. c. p. 565. ita concludimus: *Jam quidem extremum flagitium & facinus est, quod, cum ille tam amanter atque fideliter nos vocet & moneat, ad nostrum summum & maximum bonum confluendos, nos tam alienos erga vocantem geramus, ac tantum temporis à Sacramenti participatione remoti exigamus, donec prorsus animo indurato, refrixerimus, ut nulla usquam desiderii aut amoris scintilla in nobis superstes remaneat.* Piissimo consilio idem patientissimus in fidei perseverantia Ecclesiæ Vir, nunquam sine admiratione nominandus *Wellerus*, has rationes inculcat, commendatque ex instituto in *Commentatione; Ursach warum man zum Hochwürdigem Sacrament gern und oft gehn soll*/Freibergæ 1555. ad Augustum Saxon. Elect. perscripta, Lipsiæque 1597. edita, & ante quam nuper Opp. Tom. Germ. insereretur, rarissima, ut necesse duxerit *Summè Vener. Dn. Mayerus* eandem l. c. p. 78. communicare. Add. *Edelii* jam nominati Thes. Catech. Homil. X. de Usu & Finibus S. Ccenæ. p. 178. sqq. & *Dn. M. Pauli Frid. Sperlingii*, Super Leisnic. Contin. Nicod.

Nicod. Quær. & Jesu Respond. conc. die Virid. hab. p. 1017. sqq.

§. XI. Jam speciatim ad Conscientiæ scrupulos, quos plurimos videas obverti ab illis, qui usum S. Coenæ fugiunt, trutinandos pergamus, ne habeant, quod jure prætereendere possint. Hinc vero initio illos uno agmine in theatrum producendos esse ducimus, qui frequentationem Eucharistiæ aut fere supervacaneam esse, aut ad minimum non adeo necessariam judicant, sed libertatem hac in re Christianam urgent, actumque hunc solennem, pro indifferenti habent, qui Christianos stricte obligare non possit, ut neglectu ipsius Conscientiam suam lædi crederent. Sed vero ob methodi semel receptæ legem, & chartæ angustiam non licebit prolixius hic nos esse, & quæ singulorum errorum objiciantur capita omnia, ut deceret, percurrere, & diluere. Quapropter satis fit in plurimis Historicum egisse, & tantum paucis indigitasse, quomodo variis deliriis, multi Eruditorum, his scrupulis proluserint, eosdemque in hominum animis excitaverint; nec non provocasse ad Scripta illorum, in quibus ad objecta Fanaticorum, est repositum. Quæ tamen sunt argumenta potiora, brevissimis lineis erunt refellenda atque solvenda.

§. XII. Ducant ergo cohortem, *Labadistarum* errores, quos dixit Ecclesia ab infausto Schismatis Conditor, *Jean de la Badie*, in Guasconia, Galliæ provincia, oriundo, relictis Pontificiorum castris, Reformatorum fidem Genevæ professo, & post varias functiones, tandem 1660. ad munus Ecclesiasticum Middelburgi in Seelandia obeundum vocato, quam tamen spartam ille ob com-

C

plu-

plures, quos disseminare studebat errores, relinquere, nactusq; , qui societati ejus se addicerent, Hervordum, & demum Altonam prope Hamburgum, quo loco etiam 1677. decesit, discedere coactus fuit. Fanaticismi propagatores, famosique nominis affeclæ fuere, *Petrus Vvon* & *Petrus du Lignon*, Pastores, tum *Henricus* & *Petrus Schluteri*, Ministri verbi; tum & eximium illud sequioris sexus ornamentum, & seculi sui prodigium, Batavorum, ut *Heinsio* atque *Spanhemio* vocabatur, Minerva, doctissima virgo, *Anna Maria Schurmannia*, quæ singulari libello brevem, sui ad Labadistarum Schisma abitus, historiam conscripsit, hoc titulo: *A. M. a Schurman* *ἐὐκλεσία*, seu *melioris partis electio*, *Tractatus*, brevem vitæ ejus delineationem exhibens. *Luc. X. 41. 42. Unum necessarium*, *Maria optimam partem elegit*, *Altonæ ad Albim*, ex officina *Cornelii van der Meulen*, Anno *CIO IDC LXXIII.* in 8. Cui *M. Jo. Gabr. Drechsler* opposuit alio Scripto: *ἐὐκλεσίαν ἐυκέατον*, seu *melioris partis electionem rescissam*, *Lipsiæ 1675.* in 8. Fidei Labadistarum rationes, collectim dare possunt, ut cætera taceamus, sequentia Scripta: *Veritas sui vindex*, sive *solennis fidei declaratio trium Pastorum*, de *la Badie*, *Vvon*, & *du Lignon*, & *suo* & *integræ Ecclesiæ*, cui ministrant, quamque secundum *DEum* dirigunt, nomine edita, 1672. tum *Petri Vvonis* *Essentia Relig. Christ. patefacta* 1673. in 8. & in German. lingua: *Declarations-Schrift/oder eine nähere Erklärung der reinen Lehre/ und des gesunden Glaubens/ Jo. de Labadie, Vvon, & cæterorum*, neben unterschiedlichen vielen andern Gläubigen/ die Gott der Herr versamlet. &c. Auf der Fürstlichen Freyheit zu Herfordt gedruckt 1671. de *Labadie* von der *Selbst-Verläugnung/ oder dem selbst/ und dessen mancherley Arten* 1672. Sed nec defuere, tam ex nostra, quam *Reformata Religione*, qui oppugnarent Schis-

Schisma illud. Ex quorum numero sunt: *D. Jo. Hundius im Gutachten von der Declarations-Schrift. D. Adr. Pauli im Schriftmässigen Bedencken. L. Christ. Nifanius in Mataologia Labadiana, h. e. wiederholten/ und vermehrten Bedencken/ Minden 1673. 8. B. D. Abrah. Calovius, Disp. de Labadismo, Witteb. habita, & Magnif. noster Dn. Mayerus, tum Prof. Theol. Witteb. in Disp. Ibid. 1686. sub eodem Tit. Mataologiæ hab. D. And. Essenius P. P. & Pastor. Ultraj. & Anton. de la Marque in Redenen, de welckeen bevoghen hebben te verlate het Huys en Geselschap, von Jean de Labadie &c. Sententiam Labadistarum de S. Cœna, quod concernit, obscure colligimus ex Art. VI. p. 62. in der kurzen Glaubens-Erklärung Sacramenta generatim esse distribuenda illis, quos vera, pura & Ecclesie membra esse, infallibiliter constat; nec administranda ea esse à quocquam, nisi à tota Ecclesia. Dilucidius, in quo errent, ex solenni fidei declarat, patet. Quorum summam ex c. XI. & XII. excerptam, Nifanius l. c. p. 422. hanc tradit, quod cum ex absoluto quodam decreto, plurimam hominum partem, quam peccaturam prævidit, damnaverit DEUS, neque Verbum & Sacramenta, ut media salutis sint ab eodem ordinata. Ut itaque, et si Verbum prædicetur, & Sacramenta dispensentur, nunquam tamen id hac intentione, & hoc fine fiat, quasi debeant omnes iisdem mediis, sub spe salutis æternæ uti. Sic ex malo & impio principio, pessimas emanare videmus Consequen-
tias. Quid aliud est, fingere sibi DEum crudelem, facere sibi DEum mendacem, si hoc non est? Sed increpet te DEUS Satanas! Provocamus pro universali amore, & sincera servandorum promissorum declaratione DEI demonstranda, ad dicta scripturæ: Ezech. XXXIII, II, 12. Vivo ego, dicit Dominus DEUS, nolo mortem im-*



pii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat: *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunq; die peccaverit; Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua.* Et Num. XXIII. 19. *Non est DEus, quasi ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut pœniteat eum. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implebit?* Evolve D. Jo. Mülleri Theol. Hamb. solidissimum librum, quo absolutum decretum confutavit. De necessitate S. Cœnæ speciatim, quid contendant credendum esse, his *Schurmanne* Epist. F. 6. verbis accipe: "Dat het bevel Christi vant "Nachtmael, verbind met altyd, maer niet tot altyed, "gelyck de Theologanten sprecken; en immers niet als "andere Texten het bepalen. Christus seyde oock niet "absoluit: Doet dit; maer so dickwils, als gy hat doet, "doet het tot myner gedachtenisse. At vero concedit gladium ipsa Adversaria; quo juguletur. Cum nos argumentum illud ex particula ὅσάντις (quotiescunq;) desumptum, potius invertere, atque in eadem verè fundamentum esse quoddam præceptum Christi pro necessitate, utendi hoc sacramento, urgere possimus. Qui enim restringit rem aliquam, eo ipso fieri eandem debere, indicat; cum alias restringi nequeat. Neque ergo quicquam aliud consequenter, nisi libertatem temporis tantum, quo sit celebranda communio, ex hac restrictione eliciendum est. Ex instituto quippe illa obligationem ferit, semper cum Cœnæ hujus celebratione, una Christi passionem, grata memoria, debitisque laudibus recolendi; innuitque, non minimam horum sacerorum partem esse, gratiarum actionem; ceu a qua etiam toti huic sacro actui, Eucharistiæ nomen veteres indiderunt. *Phil. Zeifoldus* Log. Sacræ N. T. Part. III. observ. I. p. 455. §. XIII.

§. XIII. Crassiori delirio necessitatem Sacramenti nostri infringere conantur, qui ad summam, quam gloriantur, fidei, vitæque sanctæ perfectionem recurrentes, *hominem devotum eoque in hac vita proficere posse, ut in perceptione communis cibi tantam percipiat gratiam, ac si Sacramentum Eucharistiæ acciperet*, sentire non verentur. Patronum hujus malefanæ sententiæ p. m. Theologus Helmeftadiensis, *D. Frid. Ulricus Calixtus*, Abbas Regiæ Lutteræ, Centur. Theol. Disp. 1690. ventil. Th. 79. quendam, nomine *Bartholdum de Robrbach*, introducit, inductus potissimum testimonio *Jo. Stübneri* Introd. ad H. E. N. T. tabulis Synopt. adornatæ atque editæ Norib. 1684. f. Sec. XIV. Sect. de heterodoxis. Fundamentum erroris hujus, positum est in perfectione virium nostrarum, quoad Spiritualia; qualis illa sit, & quæ ab homine Christiano expectanda. Quemadmodum singulare omnium ferme Hæreticorum, Fanaticorumque est, pro statu hominum renatorum in hac vita valde, quin summe perfectæ, pugnare; ita quoque nostro tempore cum *Pietistis* hac de re accerrime fuit disputatum, nonnullis ex eorum cohorte, nominatim *Balthasare Kœpke* in Dialog. de tribus sanctorum gradibus. P. IV. cap. 3. Lat. Exemplaris p. 154. eo erroris, non dicam insaniam progredientibus, ut perfectionem absolutam, saltem possibilem, Christianis adscripserint, scribentes: *nos in sanctitate eo pervenire posse, ut amplius proficere nequeamus.* Imo, renatos, durante hac vita, ejusmodi statum obtinere posse, in quo cum Christo, ut victores peccati & triumphatores regnent, audacter *Petersenia* in I. Anhang auf die Anleitung zur Offenbarung Christi p. 51. statuit. Non morabimur vero in confundendis his erroribus, quibus quasi

quasi superstructa est opinio *Robrbachii*, contra quem jam agimus. Satis negotio hoc defudarunt exequendo, Theologi, laude nostra majores, queis hisce cum monstris decertandum fuit. Quos longo ordine, una cum sententiæ, exosæ omnibus sanioribus, refutatione, sistere poterit *Schelguigii* Synopsis Art. XXII. quæst. XV. seqq. Piet. Sect. P. III. Art. XVI. p. 104. seqq. nec non *Wigandiana* p. 59. Ah! miseros nos! quibus cum *Paulo Anti-Pietista*, hac de re conquerendum venit: *Scimus, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non approbo. Non enim quod volo (bonum) ago, sed, quod odi, (malum) illud facio. Si autem quod nolo, istud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum; Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio.* Rom. VII, 14. seqq. Ut taceam nos in præsentī vita, tantum primitias Spiritus accipere, Rom. II, 23. atq; hinc ad mortem usque, plus ultra tendendum, 1. Thess. V, 10. Vid. omnino *Magnif. D. Mayeri* Anti-Spenerum, n. 4. p. 25. Jam vero, si illa est conditio virium nostrarum; si illa imbecillitas, in iis quæ vitæ sanctimoniam spectant; quid de perfectione, nostræ erga Deum devotionis, sit judicandum, facile perspicere poterimus. Tres summas, perfectissimasque virtutes complectitur devotio, fidem scilicet interruptam spem firmissimam, & charitatem plenissimam. Illa enim dicitur *Devotio*, definiēte *Balduino Cas. Conf. L. IV. c. 5. Cas. I. p. 121.* cum homo omnes cordis sui cogitationes, voluntatis desideria, motus & affectus, ad Deum solum dirigit, ipsi totus adheret, ab ipso solo dependet, & ad nutum ejus se attemperat; Quam mentis devotionem Scriptura

ptura S. quoque *Dei inquisitionem*, & ad Deum *appropinquationem* nominat. 2. Par. XV. 1. Jac. IV. 8. Sed enim vero Sanctule! Dic nobis, ubi sit inter homines ille devotus! Dic, quibus in terris, (ut cum Poëta loquar) & eris mihi magnus Apollo. Mirabatur quidem, quod *Cornel. à Lapide* memorat, *Aloysius*, elati animi homo Pontificius, Cardinalem *Robertum Bellarminum*, magnum inter Papiſtas nomen, conquerentem, de languida inter preces ad Deum fundendas, devotione, suæque orationis feriam, attentionem gloriabatur; Ast, quid amplius, quam gloriabatur? Contra *Augustinum* & *Lutherum* nostrum, at quantos in fide Heroës! virium suarum in præstando Numini devoto cultu, teneritudinem & imbecillitatem, & acerbissimis lacrymis deplorantes; confitentesque, nunquam se Diabolum otiosiore esse expertos, quam si devotè orare fuerint annisi, Historiarum annales tibi sistent. Vide *Venerandi nostri Præceptoris, Dn. Mayeri, Frühstunden* ad Dom. Rogate. Apage ergo inanes gloriationes! Apage incautos tui laudes! quousque tua, quam effers, incommoda, impia, & in Summi Numinis honorem, auctoritatemque injuria celebratione, possit proficere; ita ut frustranea sint ipsa à DEO in tui salutem instituta, ordinataque divinissima Sacramenta. Væ partes tuas! Væ devotionem tuam sibi relictam! Non certe humanarum virium, sed S. Spiritus opus est, serio & ex animo devotum esse. Ille, quem *Zacharias* Prophetæ Cap. XII, 11. inde *Spiritum gratiæ & precum* vocavit, *sublevat infirmitates nostras* Rom. VIII, 26. Ille succurrit imbecillitati animæ nostræ, excitatque solus cordis in precando ardorem. Ad ultimum, quod se hæc, quam crepat, devotione, eandem in communis cibi percepti-

ceptione, gratiam acquirere posse, autumat Adversarius, quam conferre alias solet ipsius Sacramenti usus; hoc nihil aliud est, quam illudere velle institutionem Optimi Salvatoris, qui voluit, ut illa gratia ex usu Sacramenti, & non vulgaris cibi hauriretur. Ita quidem est, *quod, qui credit, & baptizatur, salvus sit futurus.* Marc. XVI, 16. Sed in Eucharistiæ usu obsignatur illa fides, atque per hanc peccatorum remissio. Quod enim quis credit, datum esse corpus & sanguinem Christi pro se, hæc manducatio est spiritualis, Joh. VI, 47. 53. sed, cum illa fides sæpe sit infirma, summæ benevolentiae Christi hoc est *τελειωσιον*, quod eam velit excitare & confirmare ipsius corporis & sanguinis pro nobis dati, in, cum, & sub pane atque vino, applicatione ad os fidei simul, & corporis, quæ est manducatio Sacramentalis. Extra usum vero Sacramentalem panis & vinum, quæ sunt materia illa S. Cœnæ terrena & visibilis, nihil sunt, nisi cibus vulgaris, etsi vel à piissimo, & in fide fortissimo homine adhiberetur. Quemadmodum & aqua Baptismi, post actum baptizandi, nihil est aliud, nisi aqua vulgaris. Et denique, veluti ille, indignus hospes hujus Sacramenti ad mentem D. Pauli, audit, *qui non discernit corpus Domini.* 1. Cor. XI, 29. h. e. non aliter accipit, & tractat, quam alium quemlibet cibum; ita certò verendum, ne majoris criminis arguatur, qui penitus vulgarem cibum, ex affectata quadam fidei dignitate, & vitæ sanctimonia, præferre vult ipsi Sacramento Cœnæ Domini.

§. XIV. Ex alio adhuc fonte, nulla Christianos necessitate ad frequentandam Eucharistiam duci, demonstrare allaborat Autor quidam, quem *H. Grotium* esse, postea

postea experti sunt Eruditi, *invisibilem & sine Symbolis* Communionem satis ad salutem esse credens. Dabimus brevissimis Historiam hujus sententiæ. Calebat vergente Anno 1628. ad Locum *Tertulliani* difficilem, de exhort. Castit. explicandum, disputatio de *Laicorum in necessitate Sacerdotio*, inter duos magnæ Eruditionis Viros, *Nicol. Rigaltium*, qui libris nonnullis ipsius Tertulliani, emendatius ad vetustum codicem editis, moverat hanc litem primus, & Episcopum Aurelianensem *Guil. Albaspinæum*, tam acriter se opponentem, ut res Romam ad ipsum Pontificem deferenda, ibidemque scriptis ab utroque Epistolis, agitanda fuerit, donec finem contentioni imponeret, quæ solet dissidiorum inter mortales esse arbitra, mors Albaspinæi, anno 1630. Rigaltii causam suscepit 1638. brevi edita dissertatione, omisso tamen primum nomine, eo tempore, quo pacem Ecclesiasticam meditabatur, *Hugo Grotius*, celeberrimi nominis Vir inter Eruditos, cui postea subscripsit quoque *Simon Episcopus*; Respondit vero ad sententiam hanc iterum singulari dissertatione, continuavitque controversiam 1639. *Dionys. Petavius* Aurelianensis è S. J. de potestate consecrandi & sacrificandi, Sacerdotibus à DEO concessa; quam rursus 1640. sub *Walonis Messalini* nomine adgressus est *Claud. Salmasius*. Deinde & Grotius hac de re ex Reformatis Adversarios nactus est *Andr. Rivetum*, in Apolog. & *Henr. Dodwellum* de Jure Laicorum sacerdotali; ex Pontificiis autem *Georg. Ambianum*, in suis ad *Tertull.* Annot. Quid nos jam feriat illa controversia, hoc est, quod Grotius suæ pro Rigaltio Commentatiunculæ, adjunxerit Caput: *An semper communicandum per symbola?* Occasionem hoc ventilandi argumentum, sumsit ex facto *Chrysostrami* & Διακρηγομένων,

D

quo-

quorum ille in schismate Antiocheno per triennium, hi manente post Synodum Chalcedonensem, gravi per Ægyptum Orientemque diffidio, cum neutra litigantium parte communicarunt. Movet inde Quæstionem Grotius: *An institutio Christi de Cœna S. præcepti necessitate & quidem sine ulla conditione, sit constricta?* Quam ipsam, postquam institutionis occasionem ex more Ebræorum erudite ostendisset, negandum esse ex eo arbitratur, quod illud Christi: *Τῆτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησιν*, non pro definito imperio habet; sed ita scribit intelligendum hoc: *ὅταν ποιεῖτε*, quoties festas cœnas habetis, & more solito isto postcœnio eos clauditis. Propriè itaque tantum Hebræos voluisse Christum excitare, ut pro more celebrandi talia postcœnia, adderent ad aliorum beneficiorum commemorationem, suæ mortis quoque memoriam. Quæ omnia prolixiori adhuc discursu, de introductione ritus illius ad Gentes per Paulum facta; deque ortu Agaparum illustrat. Præcipua argumentorum pro sententia hac capita, illa sunt: (1) *Quod Paulus Cœnæ celebrationem, nunquam præceptum, sed institutum tantum vocet, nec quosvis invitet, sed eos modo, qui bene se exploraverint.* (2) *Esse, semperque fuisse & sub lege illa rigida Moysis, hanc symbolorum naturam, ut facile ex causa probabili omitti se patiantur.* Quibus objectis, tres subjicit justissimas, prout sentit, intermittendæ communionis symbolicæ causas, quarum I. est: *Si, qui Ecclesiis præsunt, aut expresse aut tacite professiones exigunt quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentitur.* II. *si communio symbolica, non modo usum, ad quem nata est, non habeat, fovenda ac testanda communionis cum omnibus pie Christianis, verum insuper tendat, ad testandam partis duntaxat alicujus fœderationem, re-*
jecti-

jectionemque aliorum non pie minus ac Christiane viventium, & ad salutem necessaria, quæ non ita sunt multa, credentium. III. cum putat is, qui a communione partium abstinet, liberius solutiusque exercere posse Christianæ dilectionis officia, adversus dissidentes. Quod postremum spectasse Chrysofomum opinatur; his vero de causis qui abstinent, illis commendat tandem illud Augustini: *Crede & manducasti*. Sed opposuere ficulneis dubiis, magisque eruditis, quam veris argumentis Grotii, & quoad hanc dissertationis suæ alteram partem, non minus docta quam verissima, Dionys. Petavius, de *communione usurpanda*, nisi quod ab hoc Viro, quædam videas esse immixta, quæ Pontificiam fidem communionemque, pro religione, quam fovebat, redolent; & Jo. Cloppenburgius select. Disp. Theolog. IV. de *Sacramentorum Christ. Relig. institutione antiqua & nova, cum censura in dissert. Anonymi de Cœna: An semper per symbola communicandum?* 1640. hab. Quæ scripta si conferas, non poterit amplius Grotiana sententia, conscientiam tuam de necessitate hujus sacramenti dubiam reddere. Opuscula plurima, quorum injecimus jam mentionem, quod tandem monendum esse judicamus, uno volumine collecta, hoc Titulo prodierunt: *V. Cl. Hugonis Grotii de cœna Administratione, ubi Pastores non sunt; item, an semper communicandum per symbola? Dissertatio, cum diversorum Responsionibus, quarum Catalogum versa pagina exhibebit.* Londini, 1685. Octavo. Præfatio præmissa ad Lectorem, Historiam controversiæ recenset, cujus Autorem non immerito Lipsienses Act. Erud. Anno 1687. M. Aug. p. 445. sqq. quos evolvisse juvabit, ipsum Dodwellum faciunt; Provocat enim Autor præfationis ad suas dissertationes Cyprianicas, quas ipsas à nullo alio, nisi Dodwello com-

municatas, possidet & in finu fovet Respublica literaria.

§. XV. Quod reliquum est, duo argumenta, in quibus singulare solent reponere patrocinium, illi homines, qui religionis suæ, præcipue quoad hoc de S. Cœna fidei caput, libertatem affectant, jam erunt confideranda. Quæ eo diligentiolem merentur inquisitionem, quo sunt magis noxia, & ad seducendum vulgus aptiora. Ut enim scribamus, quod rei veritas est, non semper ex malitia cordis illa proferuntur; sed sæpissime apud pios alias homines, eadem necessitatem Eucharistiæ dubiam fecisse, scrupulumq; etiam creasse, illi contestantur, qui curam habent animarum. Solent, quippe quidam respicere ad finem Sacramenti hujus, animæ æternam salutem; Jam vero hoc intuitu statim *provocant ad Christum, clare ac diserte apud Marcum XVI, 16. illos salvos prædicantem, qui crediderint & baptizati fuerint, non vero qui communicaverint, ut adeo exinde constet, contentum esse posse Christianum baptismo & fide, nec pietatem ejus in dubium vocandam esse, quem raro videamus convivam mensæ Domini.* Sed excipimus ad hæc, hoc ipso potius, quod S. Cœnam quis fugiat, confiteri quasi, aut se non credere, aut planè fidem omnem amisisse. Non poterit enim verè pio & credenti ignota esse indignitas fidei suæ, imbecillitas, atque infirmitas; cum ad sanctissimos quosque, si ita loqui fas est, repetenda sint Christi verba, quibus Regulam excepit: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Joh. IV, 48. Proinde quærenda sollicitè atque expetenda erunt illa media, à Christo instituta, quibus languida fides nostra confirmetur, sublevetur, corroboretur. Quid autem queat fortius dulciusque eri-

eri-

erigere animum, atque excitare fidem in nobis plenissimam, quam si consideremus, ipsius Christi Servatoris corpus sanctissimum, & sanguinem pro nobis effusum, in certissimam placatæ iræ divinæ, & nunquam terminandam fidem, amorisque Dei erga nos restaurati Symbolum, in Cœnæ Sacramento nobis esse clementissime datum & concessum, non video, aut cogitando assequor. Aliis ipsa peccatorum remissio, non ultimus Euchariæ fructus, fit occasio negligendæ frequentationis Sacramenti nostri, cum urgeant, *jam in Absolutione & precatione devota, consequi Christianos peccatorum remissionem, ut, qui hanc ob causam accedat ad mensam Christi, videatur dubitare de priori remissione peccatorum.* Hisce verò regerendum erit, hoc colligendi modo, & ipsam Absolutionem, Orationemque huic acquirendo fini fieri ineptam, cum jam in Baptismo etiam certi simus facti de plenaria peccatorum remissione. Adeoque sciendum est, singulari hoc Dei clementissimi beneficium agnoscendum esse, gratia, & minime culpandum, quod sustentationi fidei nostræ, & confirmationi, plurimis modis consuluerit, & præter Baptismum, Preces & Absolutionem, etiam hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui instituerit, quod pro applicatione omnium DEI beneficiorum nobis colendum esse, certò credamus.

§. XVI. Firmo itaque perstat talo contra tot Adversantium insultus, pura Ecclesiæ Orthodoxæ doctrina, de necessario omnibus, qui Christi fidem amplectuntur atque profitentur, Sacramenti Altaris usu, & in conscientia nostra ad eundem certissima obligatione. Hæc movit causa *B. Lutherum* nostrum, ut inter prima quinque fidei nostræ fundamenta, ac capita religionis,

in Catechismo suo, locum concesserit quoque huic Sacramento; Quod deinde institutum etiam Reformatæ religioni adducti, in Catechismis suis atque Confessionibus publicis, felici imitatione approbandum esse senserunt. Vide omnino, quæ scribant hanc in rem Reformati Doctores, *Jo. Bergius in der Apost. Regel* c. III. p. 23. & *Jo. Davenantius in Adhort. ad Pac. Eccles.* c. VII. Ipsa vero *Necessitas*, quæ stimulare debet quemque vere pi-um, ad celebrandum hoc Sacramentum, alia dicitur in Scholis Theologorum *præcepti*, alia *indigentia*, alia *finium*. De his infra dabitur paucis disquirendi occasio; Illa autem suadet omnibus, qui per ætatem & rationis exercitium se probare possunt, ut de quærendo adhibendoque sæpius per S. Cœnæ usum, medio salutis certissimo, atque à Deo ordinato, sint bene solliciti. Vult enim Christus serio, ut frequentetur cum devotione cordis, hoc corporis & sanguinis sui Sacramentum, iustitque illud usurpandum, tum *verbo mandati*: Quod probant tot totiesque repetita, cum institueret S. Cœnam, verba imperativa: *λάβετε, φάγετε, ποιεῖτε, λάβετε, πίετε, ποιεῖτε*. Immo sola jam nudaque ipsius institutio, præcepti à Christo lati, vices supplet. Audiamus hac de re *B. D. Joach. Hildebrandam*, disp. de Hæresi 1657. Helmest. hab. Th. XXVI, pulchre differentem: *Sacramentorum, quæ a D. N. J. C. instituta, in Ecclesia instar legum fundamentalium habent, necessitas ad salutem, ex S. S. literis aequè manifesta est. Immo, quoties Sacramenta à Christo dicimus instituta, fatemur eadem nobis sub jactura salutis impetrata, quia Christi institutio & mandatum, additis solum personis, propter quas facta est institutio, in idem recidunt; tum Verbo promissionis, quod nostri gratia inque solatium ac salutem omnium verè creden-*
tium

tium est institutum. *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus novi Testamenti*, inquit Jesus Matth. XXVI. 28. *qui pro multis* (h. e. phrasi Biblica, omnibus) *effunditur in remissionem peccatorum*; Ut *Chryſoſtomus* exinde T. IV. Homil. XXIV. in 1. Cor. X. p. 509. dixerit: *Eucharistia omnem benignitatis DEI theſaurum nobis aperiri*; Conf. de hoc duplici institutionis verbo, *D. Jo. Wandalini*, Fil. Theol. Havniensis ὑποτύπωσις sanorum verborum c. X. de Sacram. p. 245. tum quoque *verbo comminationis*, si negligamus, aut contemptim habeamus mensam hanc salutarem. Qui enim ex præfractò studio abstinent ab illa, pœnam DEI non effugient. Quod ipsum suo Exemplo Corinthios, indigne ad S. Cœnam accedentes, probare posse, verbis *Pauli* 1. Cor. XI. 30. 32. ostendimus; *Ideo inter vos scribit ille, multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum mundo damnemur.* Ubi verendum, ne multi in hac summa impœnitentia fuerint demortui, æternumque damnati. Dijudicatio enim illa est pœnaria & judiciaria, quâ in æternum puniuntur, nisi pœnam pœnitentia avertant. De Contemptorum venerabilis Sacramenti pœnis temporalibus, collegit exempla *Loiolita* doctissimus, *Antonius Daurelius* Catechif. Historial. C. V. Tit. V. f. m. 54. seqq. & Tit. XI. p. 177. seq. quamvis multa videantur immixta esse in Jesuitarum cerebro nata mendacia. Jam verò deinde, ex hac necessitate usus S. Cœnæ, facile deducitur quoque *nostra ad eundem Obſtrictio*. Probari hoc potest argumento, ex natura obligationis moralis petito. Est enim illa vinculum juris quoddam, quo necessitate adstringimur alicujus
rei

rei præstandæ; & distingui solet in connatam & adventitiam; Quarum illa cunctis hominibus, eo ipso quod tales sunt, cum ipsa statim nativitate adest, pleneque se se exerit, quam primum per ætatem vim ejus percipere, actusque suos per rationem temperare possunt. Habet hac autem in classe sedem suam doctrinalem, Officium hominis erga DEum, tanquam summum hujus universi Dominum ac Creatorem, cujus vi obligantur attendere omnes ad observantiam, imperio ejus præstandam. Hæc porro adventitia dicitur, quod imperio Superioris, qui leges ferre potest, injungantur facienda atque exequenda. Ex utraque vero jam parte Christiani, tam, quod homines sint, quam imprimis, quod Christi imperio subjecti, se ad præstandum hoc, in celebrando ejus Sacramento obsequium, obligari existiment, credantque, per hanc obligationem, frænum quoddam morale suæ agendi, huncque usum S. Cœnæ omittendi, libertati injectum esse, ut in diversam, quam, quo illa ducit partem, tendere per conscientiam nequeant. Sunt autem illa omnia, quæ differimus, ita interpretanda, ut occasionis, ad S. Cœnam accedendi, si inter adversos fidei socios degamus, defectu limitetur illa necessitas atque obligatio; Tum enim valet Regula Theologorum Practicorum: *Non defectus, sed despectus & contemptus Sacramenti damnat.* Vid. B. Quenstedius Syst. P. IV. c. III. de Sacram. in genere Th. XVII. p. 77. Quomodo vero hoc in casu fit erigendus animus, fidesque nostras sustentanda, ne langvescat, aut desperet, optimum suppeditabit consilium, *Reverendiss. Dn. Mayeri nostri der an Pâbstische Dertter reisende / und daselbst wohnende Lutheraner.*

§. XVII. Sed dantur, præter hæc, quæ hæctenus diximus, conscientiæ, circa usurpationem S. Cœnæ dubia erronea, longe adhuc plura, ex quibus tantum præcipua in disceptationem addere, in animum induximus. Erit autem statim hic nobis agendum cum *Jo. Christ. Dippelio*, famoso nostri temporis homine, & plus quam Fanatico, ut propterea quidam Theologorum illum Hyper-Pietistam vocaverint; Huic in detrimentum Ecclesiæ nato Viro, alias non indocto, sed per dissolutissimos mores, pessimamque, quod ipse de se in curriculo vitæ Academicæ confitetur, vivendi rationem, subito, at infelici consilio facto Lutheranismi infausto Reformatore, ut huc usque sub nomine *Christiani Democriti*, plurimis, iisque impiis Ecclesiam Orthodoxam, turbaret affaniis, tantum hoc opus, hic labor fuit. Mutatis cum animo tot locis ubi degit, tandem Berolinum venit, ubi jam vitam agit, Chymicis potissimum intentus laboribus, & quod otii restat, scriptis pro lubitu edendis impendens, quibus pro Indifferentismo religionis, & libertate quidvis agendi credendique, grande in se suscipit patrocinium. Hoc vero errore non modo excusare, sed defendere prorsus annititur neglectum S. Cœnæ, quod in Ecclesiis Lutheranorum, *Eucharistiæ Sacramentum*, jam à longo retro tempore non fuerit amplius juxta institutionem Domini, celebratum. Ex verbis illum judicabimus, quam pessima ex hoc capite in nos evomat scommata: Von des Hrn. Nachtmahl lehre und halte ich / daß selbiges auch nach der äusserlichen Dispensation keine Verwandniß mehr habe mit dem Nachtmahl der ersten Christen / da man nun ein rechtes Gözen = Werk und Spiel daraus gemacht / indem die so genannte Geislichen das vermeynte

E

Hei

Heiligthum in geringer *Dosi* allein in Händen haben/und
 die Layen es gleichsam anbeten/und Maußstill annehmen/
 welches alles der Ordnung und Absicht Christi zuwider
 ist. Ejusd. Glaubens-Bekänntniß Art. IX. p. 3. 54. Die ganze
 Handlung an und für sich selbst / hat gar keine Vergleichung
 mehr mit dem Abendmahl des HErrn/oder dem
 Gebrauch der ersten Kirchen: Da man bey rechten Mahlzeiten/
 diese Gedächtniß des HErrn Christi celebrirt / und
 sich in dem HErrn durch erbauliche Gespräch ergetet/allwo
 das Pfaffen-Besen keine statt funden / sondern ein
 Christ so viel gegolten wie der andere: Jetzt aber hat das
 Pabstankende *Ministerium* das Brodt und den Wein in
 geringer *Dosi*, daß mans kaum mercken kan/wann es
 genossen wird/und in wunderlicher Brodts-Gestalt/in dem
 Gözen-Tempel auf den Altar geschleppt: dabey stehet ein
 geistlicher *custos*, der das Heiligthum allein darff anrüh-
 ren / ein Meß-Priester / und reicht aus seiner Hand den
 herumstehenden *Communicanten* das Opfer in den Mund/
 die es denn aus grosser Reverenz stock-still empfaben/
 und mit wol abgemessenen Schritten/damit ja keine Un-
 ehre eingelegt werde/wieder an ihren Orth gehen. So weit
 hat alle Welt / durch die *Clerisey* können verblendet / und
 aus einer Abgötterey in die andere verführet werden.
 Wein und Dele / p. 298. 299. *Tantæ sunt animis celestibus iræ.*
Quæ inde concludat Democritus, vide aus dem
 Gegen-Satz / Glaub. Bek. p. 55. Hier auß ist offenbahr/
 daß es eine verwegene *Prætension*, und blindes Anfordern
 sey/wann in einer *Secte*, sie seye auch / wie sie sey/die so ge-
 nandten Geistlichen das Volck suchen zu bereden / sie hiel-
 ten in ihren öffentlichen Versammlungen des HErrn
 Nachtmahl / und diejenigen/so sich von ihrem Wesen ab-
 thun/

thun / seyen Sacrament-Schänder / da doch die Ordnung Christi/durch sie und ihr unreines Heiligthum / am meisten geschändet wird.

§. XVIII. Sed appellamus publice conscientiam tuam, *Dippeli*, an per animi modestiam, affectuumque moderationem Christiani hominis, & vitam sanctam, puramque, par erat, publicis scriptis, tot conviciis, tot opprobriis atque scommatibus, impie proscindere, quod, si mereretur censuram, in misericordia & charitate, summaque lenitate fuisset placide animadvertendum, & cum gemitu precibusque devotis Deo in altissimis, atque illorum, quibus sacrorum cura demandata est, sollicitudini commendandum, & unanimi consilio, junctisque viribus illi abufui prospiciendum. Ille scribendi impetus, ille judicandi pruritus, illa convitiandi effrœnata audacia, nihil prodesse Ecclesiæ, neque tollere unquam poterit noxios inconsultosque mores; cum modo irri- tet animos, & distrahat, difficulter componendos. Ut silentio præteream, quod primo loco erat commemo- randum, de rebus sacris, personisque à DEO & Magi- stratu ad obeunda sacra officia, ordinatis, Ministros ver- bi divini intellige, DEI vices gerentes, magis pie ac re- verenter, non tam profane atque scurriliter fuisse sen- tiendum. Abusus multos ex malitia impiorum, etiam circa S. Cœnæ frequentationem irrepsisse in Ecclesiam nostram, omnes probi, queis curæ cordique est Numi- nis gloria, & Sacramentorum Sanctitas, cum lacrymis deplorando confitentur. Sed propter abusus quosdam, audere ipsam Eucharistiam ex proposito cordis negli- gere, atque ob impietatem accedentium ad Cœnam, laceffere ipsos Sacramenti innocentissimos Dispensa-
 E 2 tores,

tores, hoc signum est atque argumentum, animi à vera Christi fide, pietate, atque honestate alienissimi, ut ferè ejusmodi hominem, omnem humanitatem exuisse, bellumque ipsi probitati indixisse, sit existimandum. Cæterum, falsissima sunt, quæ de differentia inter primam Eucharistiæ institutionem, & nostram celebrationem opponit; Cum nulla intercedat, nisi in *accidentalibus*, & quæ liberas spectant circumstantias. Ipsa *essentialia* S. Cœnæ, nec in minimis sunt mutata, verum ad tenorem verborum institutionis Christi, sanctissime in nostra Ecclesia observantur. Habemus enim S. Cœnam, pro altero N. T. Sacramento, quo ad mandatum Christi, accipimus panem, comedimus, credimusque, omnibus manducantibus, in & cum pane consecrato, verum corpus J. C. pro nobis traditum, communicari; accipimus vinum, bibimus, credimusque, omnibus bibentibus, in & cum vino consecrato, verum sanguinem N. T. pro nobis in remissionem peccatorum effusum, communicari; facimusque hæc omnia in sempiternam Salvatoris memoriam. Ita nostri Libri Symbolici, ad quos juravimus, loquuntur. *Aug. Conf.* p. 12. *Apol.* p. 157. *Cat. Min.* p. 380. *Cat. Maj.* p. 402. & 581. *Form. Conc.* p. 597. *Declarat.* p. 725. Ita Theologi Lutheranæ Ecclesiæ Orthodoxi, fidem suam passim in Systematibus profitentur, atque suos instruunt. Reliqua, quæ extra Essentiam Sacramenti sunt, & vel tempus, aut locum, aut sumendi modum concernunt, pro Adiaphoris habenda; & cum præter mandatum imitationis, à Christo facta fuerint, sine læsione virtutis Sacramenti hujus, & potuerunt, & per Gentium receptam consuetudinem, terræque, in quâ degimus conditionem, debuerunt mutari;

tari; Ut non tangamus, aliam fuisse faciem Ecclesiæ plantandæ, quæ non potuerit statim recedere à circumstantiis à Servatore observatis, & aliam jam esse plantatæ. Quæ distinctio, quamvis *Autori Præfat. der Gnaden und wunderwollen Befehring Rosenbachii* sit odiosa, firmo tamen nititur fundamento; Ut itaque sine omni veritatis specie, falsissime à Democrito Lutherana Ecclesia, commissi in mutatione Cœnæ S. criminis nefandi, sit accusata; Quod, cum ipsius veritatis divinæ, in S. Pandectis patefactæ, consensu sit demonstratum, à nullo certe Christiano, usus ille saluberrimi Sacramenti est negligendus, sed devotè, iterataque vice repetendus. Ministri verò verbi divini, qui sunt dispensatores τῶν μυστηρίων τῆς θεῆς 1. Cor. IV. 1. 2. severe omnibus, quibus animæ salus æterna curæ est, inculcare, ne in perniciem suam differant accedere ad divinissimam Domini Mensam, per conscientiam tenentur & obligantur. Neque possumus aliter, quam illos, qui toties informati, & per vulnera Christi admoniti, negligunt Christi voluntatem, abstinere ab hoc Sacramento, idemque fugiunt, pro publicis S. Cœnæ Contemptoribus, indignis certè, qui in Societate Christianorum tolerentur, habere atque promulgare. *Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit*, Gal. III. 15. quid tu *Democrite* minime *Christiane* audes, ipsius DEI Filii, J. C. Testamentum, tam scurriliter contemptui exponere? *Noli errare, DEUS non irridetur.* Gal. VI. 7. Conferri possunt, quæ ex instituto, ad singula Dippelii capita respondit *Dn. D. Henr. Georg. Neuß*, Superint. Wernigerod. in *Probat. Spiritus & Doctrinæ Democriti*, 1701. 8vo.

§. XIX. Quamvis summo studio præcavendum,

E 3

ne

ne indigni sacram mensam frequentent: Nemo tamen ideo eandem fugere debet, *vel quod Minister sit impius, vel alii quoque indigni simul accedant*; quia alias semper abstinendum esset à S. Cœna, cum nunquam de dignitate administrantis, aut sumentium certi esse possimus. Ita *Excellentiss. Dn. D. Alb. Joach. de Krakevitz*, Prof. Rostoch. Sylloge Thes. ex universa Theol. deprompt. & Rostoch. 1706. ventil. disp. XXI. Th. II. sentit. Quæsit tamen in hisce effugiis, patrocinium sui S. Cœnæ neglectus, decantatæ famæ homo Novator, *Godofredus Arnoldus*. Aversabatur ille cum Quedlinburgi viveret, gustationem Cœnæ Dominicæ in publico cœtu, atque instituto hoc pessimo alios quoque jam in partes suas traxerat, qui ambabus manibus hanc libertatem amplectebantur. Non poterat hanc protervam licentiam, sine metu perdendarum plurimarum ex cœtu suo animarum, tolerare Reverendum Quedlinburgensium Ministerium, adeoque pro officii ratione ex publico suggestu præmuniebant partim suos, ne offenderentur horum exemplis, partim amice & modeste admonebant cœteros, ut desisterent à proposito, ne pessima fama notarentur. Sed parum illa curabat *Arnoldus*, à cujus partibus stabat quoque Serenissimæ atque Reverendissimæ p. m. Abbatissæ Diaconus Aulicus, *Job. Henr. Sprögelius*, Socer postmodum Arnoldi factus, sed remotus deinde justissimo judicio ab officio, & civitate ejectus; ac licet publico scripto, notasset quoque audaciam Arnoldi, *Vir Excellentiss. Dn. L. Ern. Salomo Cyprianus*, tum Prof. Philos. Extr. in Acad. Helmest. jam Director Gymnas. Coburg. atque inter alia exprobrasset etiam hoc S. Cœnæ vilipendium, illumque ut famæ suæ consulere, adhortatus fuisset. Disseminabat

bat *Arnoldus* scriptum quoddam, quo partes suas, tam contra Quedlinburgenses, quam Cyprianum defendere studebat, sub Tit. hoc: *Erläuterung vom gemeinen Seelen-Wesen/Kirchen und Abendmahl gehen/xc. Leipzig 1704.* Ad voluntatem Ministerii Quedlinburgensis, confutabat *Arnoldi* objectiones, nomine illius, Summe Reverentum temporis Superint. Quedlinburg. jam Bremensis, & Sacrae Regiæ Majest. Suevicæ in Consistorio Consiliarius, ac Gymnasiarcha, *Dn. D. Gerb. Meierus, in der unschulddigen Beantwortung/cui opponebat Arnoldus die fernere Erläuterung des Kirch- und Abendmahl-Gehens.* Ubique hoc agit Adversarius veritatis, ut persuadeat omnibus, S. Cœnam à se non sperni, sed maxime sancteque æstimari; ast publicam, communemque illam accedendi ad Eucharistiam consuetudinem in Ecclesiis nostris, à se nunquam posse imitatione probari. Lapsus proinde etiam in errorem illum Dippelianum, jam præc. §. à nobis notatum, de diversissimo Lutheranorum, ab institutione prima & praxi primitivæ Ecclesiæ celebrandi S. Cœnam more, pro libertate pugnat, extra communionem, sine omni abusu recolendi memoriam Christi, omni Christiano concedendâ. Orditur verò negotium, adducendo querelas Theologorum nostrorum, jam à longo tempore abusus S. Cœnæ notantes, & omnem excusationem suam, in fausto hoc superstruit fundamento, quod partim sæpe constat de vitiis Distribuentium hoc Sacramentum, è quorum manibus impium fit, & sine fructu sumere Sacramentum sanctissimum; partim ad participationem cœnæ, impii & prorsus indigni, sine omni distinctione admittantur, quorum peccatis contaminari cœteros inculpatæ vitæ hospites existimat.

mat. Ne videamur scripsisse, quæ à mente *Arnoldi* aliena sint, lubet adjungere verba ipsius, aus der Erklärung/p. 37. S. 9. Ich enthalte mich weiter mit Anführung solcher Zeugnisse fortzufahren / und frage nun unparthenische und verständige Gemüther: Ob ein Christ der den HErrn Jesum wahrhaftig kennet/und wesentlich in sich wohnend und vereiniget hat/sich solcher Dinge mit gutem Gewissen / und ohne Befleckung könne theilhaftig machen / davon die Lehrer selbst / nun in die 200. Jahr her lauter durchgängige Mißbräuche / Greuel / Schanden und Sünden haben; also / daß so gar an der ganzen Handlung selbst/durch die schreckliche Überschwemmung des böshafften Hauffens/bey unendlicher Nachlässigkeit und Frechheit der *Clerisey* / nichts gutes und unanstoßiges blieben ist? Ob man ein selbst zugerichtetes menschliches Abendmahl mit machen dürffe/da man weiß es müsse von Rechts wegen des HErrn Abendmahl seyn? Ob man die liederliche Austheiler/so wol als die Gottlosen Nehmer/in ihrer Böshheit mit seinem Hinzugehen noch bestärcken/und ihre Greuel mit der That gut heißen könne: da die meisten darunter offenbahrlich-Stadt und Landfündige Säuffer / Spieler / Hurer / Ehebrecher / Meindige / Diebe / Geizhälse / Schinder und Schaber der Armen/Tyrannen/unversöhnliche Zänckerer / Lasterer / und tausenderley anderer Arten Bösewichter sind / alles nach der Lutherischen Lehrer eigenem Geständniß und Aussage. & p. 34. S. 3. Ich kan und darff aus Furcht und Respect vor göttlichen Dingen / das gemeine Mahl in denen Kirchen nicht mitmachen/weil dieses durch Zulassung aller auch abscheulichsten offenbahren Sünder / nicht ein *Sacrament*, oder heiliges Geheimniß ist / sondern gemein
und

und von dem Wesen und Zweck des wahren Abendmahls unterschieden wird. Paria his *Dippelius* quoque pronuntiat im Wein und Oele/ p. 280. 281. 282. 297. 298. cujus impia verba, ut chartæ parcamus, addere superfedemus. Quomodo iterum hic impingant quoq; *Labadista*, nos instruet *Nifanii* *Mataologia* l. c.

§. XX. Verum enim vero *Arnolde*, quo cum jam ex instituto mihi negotium est, quod modeste quæram, quid inhabitationem Christi tantum gloriaris, qui distinguere nequis, ut verbis Pauli loquar, ipsum corpus Christi? Sacramentum enim quod distribuitur in S. Cœna, non est hominis, qui illud dispensat, sed DEI, in cujus nomine dispensatur, adeoque à solo DEO est, & dependet gratiosa virtus, & operatio Sacramenti, 1. Cor. III. 5. non à qualitate Ministri. Ac, si indignitas Ministri derogaret integritati atque efficaciam Sacramenti, incredulitas hominum, DEI fidem irritam faceret, quod negat Paulus, Rom. III. 3. Minister Ecclesiæ distribuens Sacramentum, tantum causa instrumentalis est & ministerialis, in virtute causæ principalis, quæ est ipse DEUS, agens; Neque enim instrumentum agit secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus à quo movetur, ut rectè docet *Thomas* part. III. qu. 64. art. V. Et quod *Augustinus* tract. V. in Joh. de Baptismo ait: *Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis ille, per cujus ministerium datur*; id pari modo de S. Cœnæ ab impio Ministro administratæ, efficacia valet; Non quippe hic, qui plantat, aliquid est, nec qui rigat, sed DEUS, qui dat incrementum. 1. Cor. III. 7. Probe itaque prospiciendum, ne confundamus inter se, quæ ad essentiam ac integritatem Sacramenti ipsius, & quæ ad Personam & officium

um Ministri, Sacramentum dispensantis, requiruntur Pietatem & Morum integritatem requirit quidem Persona & Officium Sacerdotis; sed si illa non adsunt, perse nihil virtuti Sacramenti posunt derogare, quæ ex DEI instituentis veritate & potentia unice dependet; Quid opus est verbis: Legamus quid *Maj. Catechismus Lutberi*, cujus pro libertate communicandi auctoritatem tantum prætendit *Arnoldus*, ad Quæstionem; *Num profligata vita Sacerdos, Sacramentum ministrare, aut tractare possit?* p. 554. respondeat; & res erit confecta, ut ne mussitare quid audeat quis, nisi qui juratus veritatis cœlestis velit esse hostis. Ita concludimus, inquit B. Megalander, dicentes: *Quamquam nebulo perditissimus Sacramentum alius ministret, aut ipse sumat, tamen nihilominus Sacramentum illum sumere, h. e. Christi corpus ac sanguinem, non secus atque is, qui omnium reverendissime & dignissime sumserit aut tradiderit. Neque enim humana Sanctimonia, sed verbo DEI nititur illud. Et quemadmodum nullus Sanctorum in terris, adde etiam nullus Angelorum in cœlis, panem & vinum in Christi corpus & sanguinem vertere potest, ita quoque nemo aliter facere, aut immutare potest, et si hoc Sacramento, indignissime abutatur. Resuscitarunt hunc errorem Pietista hodierni, quem jam nostra Aug. Confessio, Art. IIX. p. 11. 12. in Donatistis, similisque farinæ Schismaticis damnavit. Ita vero judicat ille Ecclesiæ nostræ Symbolicus Liber: *Quamquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum, & vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocrite, & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent scriba & Pharisei in cathedra Moysis, &c. Matth. XXIII. 2. Et Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos**

malos exhibeantur. Digne hoc argumentum excussit Summe Rev. Dn. D. Jo. Petr. Grönenbergius, adversus censuram Thomasianam, & Dn. Breithauptii sententiam, tribus Disp. de impio DEI Ministro, Rostoch. diversis annis hab. Optima quoque fuerunt, quæ Dn. D. Jo. Mich. Langius, Prof: Altorff. sub præsidio Baieriano Halæ 1694. disp. inaugurali, de efficacia Ministerii verbi & Sacramentorum, per homines malos administrati, docuerat; modumque præscripsit prolixum, solvendi hunc de qualitate Ministri dispensantis, conscientiaë scrupulum; sed quæ iterata editione 1702. doctissimus Vir, in Annot. ad §. XL. & seqq. Inaug. Disput. p. 31. adjecit, testari videntur, illum ex nimio paciscendi studio, ad partes Pietistarum, quod dolent omnes Orthodoxi maxime, & conqueruntur, infeliciter transiisse. Quid enim illa retractatione opus erat? *Duriuscule olim locuti sumus ex ὀρθοδοξίας (quam vocant) zelo in hac thesi XL. & nonnullis sequentibus: ita vero, ut non contradicaturi simus ei, qui dixerit fuisse illum zelum nostrum, & κατ' ἐπίγνωσιν, maxime cum non negemus, rudiores esse nostram, quam dedimus questionis in nostra inaugurali l. c. mota solutionem. Quis enim ausit quem adstringere, ut vitam suam concedat homini, quem novit non esse idoneum ad faciendam medicinam? Quod pace tua scribam, Eruditissime Langi, cogitationes tuæ posteriores non sunt meliores, sed peiores. Ita quidem est, neminem adstringi, animæ curam concedere Ministro, cujus vitam despicit Morum Sanctitas; sed in eo latet anguis in herba, quod putas, non idoneum esse Ministrum impium ad faciendam medicinam. Ruis in errorem, quem antea confundebas; nam neq; illa Medicina paratur à Ministro verbi & sacramentorum, sed Virtus insita, quæ DEum Autorem habet,*



eandem præbet; Et pessimæ vitæ Sacerdos, si purum prædicat verbum, si ad Christi institutionem dispensat Sacramenta, est, manetq; idoneus ad faciendam medicinã.

§. XXI. Ut redeamus ad *Arnoldum*; quemadmodum non profligatæ vitæ Sacerdos administrans, ita neque impii & indigni S. Cœnæ Hospites, qui simul accedunt, arcere quemquam debent à Communionem; quod objectionum caput jam sequitur paucis enucleandum. Justissimæ sunt querelæ Arnoldi, quibus in *der ferneren Erklährung* / quorundam atque eheu multorum, Christianorum nomen affectantium, impios ausus castigat, quod receptæ consuetudinis ergo, tantum frequentare soleant S. Synaxin, & omne religionis nostræ negotium in externa sacrorum celebratione, de fide cœterum interna & vitæ sanctimonia parum solliciti, ponant atque constituent. Verissime quoque accusat quosdam in ipso S. Cœnæ usu externis per ambitionem, superbiam in vestitu, improbos gestus, variasque vanitates, vitiis, offendere sæpe cœteros, qui adsunt, Communionis convivas. Immo, rectissime quoque docet; arcendos esse à Communionem, qui polluti manifestis delictis non emendant se; homines à Ministro DEI circa S. Cœnæ usum habita ratione bonorum malorumve discernendos esse: *dicendumque ut Catech. Maj. p. 563. loquitur, procaci feritate & improbitate insolescentibus, ut à Sacramento abstineant.* Hactenus ergo satis bene & pie. Sed propter accessum indignorum, non velle amplius accedere ad Sacramentum, planeque ab usu illius abstrahere, hoc est summe improbandum; Hypocritæ enim, increduli atque impii, quando simul accedunt, fiunt omnes corporis & sanguinis Domini participes, cum

cum piis & dignissimis; non nuda tantum symbola accipiunt, sed etiam mediante pane corpus Domini manducant, & mediante vino sanguinem ejus bibunt, adeoque totam Sacramenti substantiam, participant, integrum sumunt Sacramentum, licet salutarem Cœnæ efficaciam, ceu fidē destituti, non recipiant, sed omnibus gratiæ annexæ beneficiis, solam sumentium fidem respicientibus, plane excidant. Vide Thesin hanc Orthodoxam adversus *Daneum*, *Musculum*, *Zanchium*, *Pelargum* aliosque ex Calvinianorum Schola, tum *Socinianos*, *Arminianos*, *Anabaptistas*, *Schwenckfeldianos*, & *Labadistas* defensam, apud *Brochmandum* Syst. P. II. p. 3049. edit. in 4. *Quenstedium* Syst. c. VI. de S. Cœna, Sect. II. qu. XI. p. 249. *Calovium* Syst. T. IX. p. 377. & qui primo loco nominandus erat, *Gerhardum* Loc. Theol. de S. Cœna. c. XXII. aliosque. Ut cœtera argumenta non cumulemus, monere placet tantum hæc tria. (1) Quod præsentia indignorum ad mensam Domini, nemini proborum præjudicio esse possit, aut eundem contaminare vitiis; Tam enim sanctissimum hoc Sacramentum est, ut ab improbissimo licet sumtum, facta tectaue permaneat illius Sanctitas; & in ore indignissimi hominis, sacramentalis tamen est manducatio dulcissimorum Epuli hujus ciborum. (2) Nunquam *Paulus* Corinthios suos admonuit, ut caveant indignorum communionem; sed hoc jusfit, ut quis se probet, se curet, sibiq; prospiciat, ne ipse fiat indignus Sacramenti hospes, & sibi comedat judicium. 1. Cor. XI. 28. 29. ut adeo *Arnoldus*, aliorum indignitatem tantum curans, ipse suam negligat salutem. (3) Luculento Judæ Proditoris exemplo constat, quod ipsius Christi primæ cœnæ indignus interfuerit, salva interea cœ-

terorum Apostolorum præsentium dignitate & salutari Sacramenti perceptione. Habet quidem *Arnoldus*, quæ ad hoc argumentum nostrum excipiat in *der ferneren Erklärang* p. 73. sed quod facile refelli potest. Quod enim (1) dicit, *inter Eruditos adhuc sub iudice litem esse, utrum Judas vere adfuerit, cum prima Eucharistica communio à Salvatore celebraretur*; Ipsa cœlestis veritas in S. Pandectis calamo Evangelistarum litem confecit, expressissimis verbis præsentiam Judæ plus simplici vice asserens. Matth. XXVI. 23. 25. Marc. XIV. 20. Luc. XXII. 14. 21. Consentiant ex Patrum Ordine, *Hieronymus* L. I. adv. Jov. *Augustinus* Tract. II. in Joh. *Chrysostomus* in 1. Cor. XI. *Theodoretus* in eund. loc. Ipse *Calvinus* non solum annuit, sed ex instituto probat, Judam cœnæ interfuisse Instit. L. IV. c. XVII. §. 34. nec non *Thomas Wtakerus* tr. de script. S. quæst. VI. c. 12. (2) Pergit instare: *si adfuerit Judas, fuisse id Typum tantum, permissionis futura malorum cum veris Christi discipulis, sancta cum patientia à Domino toleranda; non verò id argumentum esse posse, quid jure fieri debeat; & quemadmodum Judæ exemplo nemo possit probare, profligata vite homini studio committendum esse sacrum officium, ita neque ex eo argumentari licere, indignos studio ad communionem Christianam esse admittendos.* Sed *Arnoldus*, neque illa unquam fuit Orthodoxorum sententia, concedendum esse sine distinctione, omnibus, notoriè peccatoribus, aditum ad S. Synaxin; Exulant illi à S. Eucharistia; *nec porcis projiciantur margaritæ*, Matth. VII. 6. Verum non possumus semper satis certi esse de illorum indignitate. Deinde, quid ad te, cui nulla animæ cura concredita est, indignitas cœterorum hospitem? Habebant illi sibi! Tu cura te ipsum, & satis habebis, quod agas.

Ac-

Accedere te ad cœnam non posse dicis, quod scias malos esse, qui sint simul accessuri. At vero, si tu esses bonus, & cœna S. dignus, jam non de aliorum, sed de tuis infirmitatibus cogitares: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo: & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*, Matth. VII, 5. Tandem, cum Sanctissimus Jesus indigni convivæ, Judæ proditoris, ad mensam Domini præsentiam patientissimo animo tulerit, quid tu, *Arnolde*, impatientissimo consilio, in tuam perniciem impios S. Cœnæ convivas fugere allaboras? (3) Excipit, *non fuisse Judam notorium peccatorem, sed hypocritam & clandestinum nebulonem, cujus fraudes malas cœteri discipuli nondum detexissent, adeoque ejus communionem evitare non potuissent*. At, tametsi speciatim Proditorum non noverant; tamen illos generatim non fugiebat, esse quem ex numero illorum, qui sit Christum proditurus, adeoque suo confortio indignum. Quid, quod ipse Dominus S. Cœnæ, ille omniscius cordium, perscrutator, cui Judæ malitia, & Diabolicum propositum non poterat esse incognitum, toleravit nihilominus indignum, pessimæque vitæ & audaciæ hominem.

(4) Regerit: *Extra omnem dubitationis aleam ponendum esse, quod in Juda, cum initio vocaretur à Domino ad Apostolatam, gratia Dei operata fuerit, quam deinde ille verò amiserit, ab agnita justitiæ via infeliciter declinans*. Hebr. VI, 4. 5. 6. Itaque etiam tolerari posse ab Ecclesia in communionem quidem hypocritas, qui sub specie pietatis externa accedant, & difficillime detegi possint; quin nec illos esse arcendos statim, qui rectam prius calcaverint veritatis viam, jam demum in devia errorum delapsi; sed illorum præsentiam non esse ferendam, qui nunquam agnoverint veritatem, sed præfractè restiterint semper Spiritui S. Quæ illa mutatio sententiæ *Arnolde*? qui antea genera-

tim

tim de omnibus in univĕrsū indignis, nulla habita eorum ratione, aut distinctione pronuntiabas, illorum communionem esse piis periculosa. De illis, qui extra Ecclesiam sunt, ut Turcæ, Judæi, Gentiles, quod sint ferendi ad Epulum hoc sanctissimum, nunquam cogitavimus, ut adeo frustra illa exceperis, quæ faciles tibi largimur. (5) Scribit denique: *Tantum unum Judam adfuisse primæ Cœnæ, cum hodie plurimi Judæ h. e. proditores Christi accedant ad S. Synaxin.* Ita est *Arnolde*, quod de prima cœna regeris; Verum enim vero sufficiat, unum indignum communioni duodecim Apostolorum tantum interfuisse, & neminem interim propterea secessisse à communionē, & cœteros offendisse. Multitudo errantium, sententiæ tuæ non poterit patrocinari. Cœterum, quæ *Adversarius B. Lutheri* loca, pro libertate S. Cœnæ frequentationis adducit, ex iisdemque concludit: *Man seye nicht verdammt/wenn man ohne Abendmahl bleibe: Weil Christus nicht geboten/ sondern frey gesehet hat/ zu geniessen wer da wil/ in der Erklärung C. III. p. 42. §. 24.* illa nequaquam pro effrœnata libertate communicandi, aut abstinendi à S. Cœna, sed tantum pro libera & non coacta communionē militant; quemadmodum hanc *Megalandri* mentem, ex scriptis ejus adversus *Democritum*, eadem quoque urgentem, *Del und Wein/ p. 288.* plenissime explicavit *Plur. Rev. Dn. M. Frid. Christ. Bücherus*, *Symmista in Patria*, de Ecclesia universa summè meritis, Fautor noster singulariter colendus, in *Luthero Antipietista c. IV. p. 186.*

§. XXII. Restant adhuc quædam quæstiones, quæ hic moveri solent, explanandæ, ad quas paucissimis respondebimus. Erit autem Prima Quæstio: *An pro-*
pria

pria indignitatis consideratio arcere quem debeat à S. Cœna usurpatione? Statuisse hoc videtur, novus Fanaticus, quem multas in Altorffina Academia excitasse turbas constat, Jo. Georg. Rosenbach, homo, artem conficiendi calcaria callens, (ein Spornmacher-Gesell) quando in der Wunder- und Gnaden-vollen Bekehrung zweyer in der Irre gegangenen verlohren gewesenen Schaaffe p. 67. & 70. putat, quod usus S. Cœna eò usque sit differendus, donec verbis Christi, de pietatis exercitio præstando, apud Matth. c. VI. & VII. satisfactum ab homine fuerit. Sed quis dabit mundum ex immundo, ne unus quidem? Job. XIV, 4. Hortatur quidem Dominus omnes: *Estote vos perfecti, sicut & pater vester in caelis perfectus est.* Matth. V, 48. atque hac admonitione inchoabat suam de pietatis exercitio non negligendo Orationem; non vero hoc sensu, quasi possibile esset in hac mortalitatis scena, solidam assequi perfectionem, ob inhærentes in renatis etiam sanctissimis, peccati reliquias; Neutiquam certè; Vetus enim homo ceu Jebusæus habitans in nobis & membris nostris, extirpari nequit, Jos. XV, 63. sed domandum esse, suadet Dominus his verbis, indies magis magisque eundem, Rom. VI, 12. 13. 14. atque sic perfectionem sensim & pedetentim affectandam cum Paulo, qui scribit, *se non quidem apprehendisse, nec perfectum esse, sectari tamen & experiri an apprehendat, quatenus & ipse apprehensus est in Christo Jesu.* Phil. III, 12. Ad perfectionem ceu metam contendere semper debemus, hoc pietatis exercitio, & fidei testimonio, dum mundi hujus incolæ sumus. Phil. III, 13. 14. Lege *Petram Winstrupium* Episc. Scaniae Comment. ad Matth. locum hunc, Refut. Advers. p. 1075. Quod si vero hæc imperfectio nos arcere vellet à S. Commu-

G

nio-

nione, nunquam fruere dulcissimo hoc Epulo. Vides, quam delinquas, *Rosenbache!* Nec enim de communionis usu salutari ob propriam indignitatem quis dubitare debet. Ipsissima illa usurpatio S. Cœnæ, est medium tollendæ nostræ infirmitatis; quando *ibi editur caro, pro mundi vita data, Joh. VI, 51. bibitur sanguis, quo ab omnibus peccatis emundamur, Matth. XXVI, 28.* Cibus ille atque potus sanctissimus non ad illos spectat, qui sani & perfecti sunt, sed qui languida fide laborant, Matth. IX, 12. 13. quod pia Mater Ecclesia optime, indigitavit, dulci cantilena ista *B. Lutheri:*

Du solt gläuben und nicht wancken/
 Daß ein Speise sey der Krancken/
 Den'n ihr Herz von Sünden schwer/
 Und für Angst ist betrübet sehr.
 Solch groß Gnad und Barmherzigkeit/
 Sucht ein Herz in grosser Arbeit/
 Ist dir wol/so bleib davon/
 Daß du nicht kriegest bösen Lohn.

Debiles, afflictos & corde ægros mulcet, sanat, atque erigit illa S. Synaxeos salutaris medicina, quos ideo tanta amoris dulcedine convocat ad se benignissimus Jesus. *Venite ad me omnes, qui afflicti & onere pressi estis, ego reficiam vos. Matth. XI. 28.* Tanta est sanctitas hujus Mensæ, ut omnibus qui desiderant adire eandem, exclamandum sit cum Paulo: *πρὸς ταῦτα τις ἰκανός. 2. Cor. II, 16.* Sed gaudete peccatores! plaudite! Jesus dignus est, qui carne in cruce oblata, & sanguine effuso, omnes, qui credunt in illum, tanto epulo dignos simul reddiderit. Fiducia idcirco non nostræ dignitatis, quæ verè nulla est, *nam si gloria fecerimus, inutiles tamen servi sumus, Luc. XVII. 10.* sed

sed benevolentia J. C. accedamus ad Cœnam Domini. Homo enim eo dignior conviva DEI, quo magis improbat suammet dignitatem, Luc. XIIX. 10. seqq. unice placens sibi in J. C. I. Cor. I. 27. sqq. *Fiduciam hujusmodi habemus apud DEUM per Christum. Non quod idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus, id ex DEO est.* 2. Cor. III. 4. 5. Jussit DEUS: *Hoc facite*; Graviter ergo delinquent, qui sua indignitate, se absterreri sinunt, ne mandato Domini pareant. Scivit Christus infirmitatem mentis nostræ, & tamen voluit, ut omnes accedant. Si perfecta dignitate destituimur, sufficit probatio indigentia & fidei, quam ferria cordis contritio, fiducialis Christi adprehensio, peccatorum dolor, & efficax propositum, vitam in melius commutandi, absolvunt. Conf. de hoc argumento D. Georg. Königii, Prof. Altorff. Cas. Conf. de S. Cœna IV. ubi & ille casus evolvitur: An quis de abstinentia Cœnæ ritè se excusare possit, si fiduciam mentis prætendat?

§. XXIII. Altera quæstio est: *An lites publicæ seu forenses, vel etiam inimicitia excusent neglectum Eucharistia?* Distinguenda bene sunt membra hujus quæsitæ; Nam quod *Inimicitias* attinet, de illis res est expeditissima, quod, qui easdem corde fovet, non possit bona conscientia, usu S. Cœnæ frui, nisi velit iudicium DEI sibi comedere; 1. Cor. XI. 27. 29. Non possumus enim munus DEO gratum, DEO acceptum atque placitum offerre, nisi fratri nostro, qui est proximus quisque, prius reconciliemini. Matth. V. 23. 24. Fratri condonemus ex animo offensas, qui ipsi de quærenda apud DEUM peccatorum nostrorum remissione, sumus solliciti, Matth. XII. 28. sqq. Ipsa autem Cœna S. est Amoris Epulum, ubi non solum immeriti amoris DEI erga nos, verum

etiam nostri erga DEum & Proximum debiti Amoris memores esse debemus; quo invicem nos complecti & diligere tenemur, qui de pane Domini participamus. I. Cor. X. 17. *Mandatum novum do vobis, Christus ipse inquit, ut diligatis invicem: Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joh. XIII. 34. 35. Quæ, cum ita sint, qua spe vana fruendi fructus S. Cœnæ salutaris, ad Sacramentum hoc accedere possit, cujus cor infano proximi odio ardet, quisque animadvertere, atque ipse inde colligere valet. Urgendi ergò sunt illi homines, ad pacem cum proximo ineundam tam difficiles, à verbi divini Ministro, ut deposita ira & reconciliati proximo, utantur demum sacratissima Servatoris sui Cœna, omnis perpetuæ benevolentiae & constantissimi amoris, divinissimo pignore. Sin minus, quam diu propter inimicitias, quas implacabili corde, & odio adversus proximum flagrante, infeliciter fovent, abstinere ab hoc Sacramento, pro frivolis ejusdem Contemptoribus habendi sunt, qui fugiunt S. Epulum, quod deposita omni ira & contentione, frequentare debebant. *Actiones, Litesque forenses, quod concernit, tria hic considerari jubet B. Casp. Erasm. Brochmandus, Theol. Haffn. Art. de Cœn. Dom. cas. VI. p. 3062. sq. Primum est: Forensia judicia non esse prohibita in N. Test. Rom. XIII. 1. 2. 3. I. Petr. II. 14. sq. Secundum est: Dandam esse sedulam operam, ne aut ipsi litigiis forensibus occasionem praebeamus, aut equa reconciliationis media spernamus; aut de rebus levibus cum quoquam contendamus. Rom. XII. 18. XIV. 19. Hebr. XII. 14. Tertium est: Curetur, ut à publica Magistratus vindicta, quam per publicam sententiam licite queris, abstineamus.*

nimi

nimi malevolentia, & effrœnis vindicta privata cupiditas. Lev. XIX. 18. Vid. hac de re doctiff. Dissert. de Actionibus forensibus, Th. XIIIX. quam sub præsidio B. D. Christ. Kortbolci, Kilon. 1690. hab. B. Dn. D. Jo. Gottl. Mallerus, Prof. Rostoch. & Gedan. Præceptor noster semper colend. Et summe Rev. Dn. D. Jo. Nic. Quistorpius, Fautor noster certissimus, disp. de Vindicta privata, Rostoch. 1705. hab. Simpliciter itaque à S. Cœna litigium in foro, neminem arcet, modo ex animo plene adversario remiserit, & nullum adversus ipsum odium conceperit, sed optaverit eidem optima quæquæ, rancorem omnem ex animo suo expulerit, dataque occasione comprobaverit, quo sit benevolo in alium animo & corde, quam que bene ejusdem personæ semper velit. Illa enim fraternæ reconciliatio est, quæ ad dignam S. Cœnæ, inter lites cum proximo forenses, usurpationem sufficit, causæ vero in judicio justitiam non tollit, ubi, si quæ reo pœna imponatur, ea pro exercitio publici & à DEO constituti judicii habenda est, cui ipsa cum adversario reconciliatio præjudicio esse non potest. Quo spectant, quæ in omnium quidem ore, non vero semper corde sunt: *Des Mannes oder der Person Freund / und der Sachen Feind. Man soll die Sachen rechten und sich nicht lassen / und die Personen nicht hassen.* Sed cum difficillimum sit omnem ita deponere vere acrimoniam, erga eum, quo cum lis nobis intercedit, ut cor nostrum eo nomine nos non amplius accuset; id quod *Erasmus Sarcerius*, Conc. quadam von der brüderlichen Versöhnung pulchre explicavit, & ex deperdita hominum natura comprobavit: bene omnes sibi prospiciant, ne ante debitam cordis sui explorationem, an plenè remiserint



rint adversario, frequentent Sacramentum sanctissimum, ne idem eo ipso animæ illorum exitio atque interitui sit. Ut paucis rem expediamus; Placabili semper corde accedamus ad S. Eucharistiam, licet nondum semper lites in foro sint placatæ; Ad ipsas lites autem nemo sit tam facilis, quo possit ad S. Cœnæ usum esse semper eò paratior. Ideo enim *Paulus* ad Corinthios scribebat. *Omnino delictum est in vobis, quod judicia* (h. e. frivola) *habetis inter vos: quare non magis fraudem patimini?* 1. Cor. VI. 7. Conf. Magnif. & sæpius laudati *Dn. Mayeri würdigen* Communicanten, qui p. 59. verbis *Lutheri* hunc scrupulum solvit. *Fridr. Balduinum*, Cas. Consc. L. II. c. XII. cas. IV. p. 324. ubi valde simul invehitur in pessimum quorundam impiorum *Causarum Patronorum* consilium, quo clientibus suis colloquium aut commercium omne cum adversario dissuadent, eò, quod leges prohibeant, & causæ bonitati hujusmodi consuetudo obesse possit. Add. *Sam. Schelguigii* Cynos. Consc. qu. XXXIII. cum Append. p. 285. sqq. 293.

§. XXIV. Tertio atque ultimo quærimus: *Quid cum Abstemiis in S. Synaxi sit agendum; & Utrum illi inter Contemptores sint numerandi?* Abstemios illos vocamus, qui desiderio S. Cœnæ tenentur quidem, sed tamen ne guttulam vini sine nausea & periculo vomitionis assumere possunt. His vero, quomodo sit consulendum, in tres sententias abierunt à tempore *Lutheri* Ecclesiæ Doctores. Prima fuit eorum, qui solo pane Abstemios contentos esse posse statuerunt, cui favit *Jo. Brentius* in Apolog. Confess. Wirtenb. contra *Petrum à Soto*, T. IIX. Script. Polem. p. 518. 519. ubi etiam ad casum, qui extat apud *Eusebium*, H. E. L. 6. c. 44. si quis præ morbi magnitudine non

non possit vesci pane, respondet solo vino eundem uti posse. Opinioni huic primum etiam suffragatus fuerat *D. Jac. Schopperus*, Prof. Theol. Altorff. libello de cœna, sed mutavit sententiam postea disp. de Cœna th. 74. Ex Pontificiis vero, pro communione sub una specie patrociniū ex hoc iudicio Brentii quæsierunt Card. *Rob. Bellarminus* l. 4. de Euchar. c. 28. & *Mart. Becanus* l. 1. Man. c. 9. concl. 8. p. 183. seq. & disp. de Comm. sub utraque specie, c. 8. Idem consilium pro Abstemiis suppeditavit *Hugo Grotius* Annot. ad Consult. Cassandri p. 40. nec prorsus ab hac opinione alienus est Censor ejusdem, *Andr. Rivetus* Animadv. ad Annot. Grot. p. 166. Sed obstat, quo minus subscribere quis horum sententiæ possit, institutio Christi, quæ & panem & vinum constituit porrigendum, si Sacramentum Cœnæ quis sumere velit; & ipse DEus severa interdictione prohibuit, ne verbo ipsius quidquam aut addamus, aut adimamus. Deut. IV. 2. XII. 8. Benè itaque locuta est, quod hic repetere possumus, *Apolog. Aug. Conf. c. X. de utraque specie p. 235. Neque nos, neque vera Ecclesia sumit sibi hanc libertatem, ut ex ordinationibus Christi, faciat res indifferentes.* Quid? inter homines non licet aliter rem celebrare, quam prout ab Autore illa est instituta; Indignus hoc magis nonne Deo esset, qui aliter celebrare auderet hoc Mysterium, quam ab eo traditum est? *Secundò*, quidam guttulas aliquas vini benedicti cum aqua miscendas esse, atque ita calicem exhauriendum esse suadent. Ita inter alios *M. Vitus Dietericus* docuit in Agendis suis Noricis; quam sententiam non quidem absolute improbandam putat *Balduinus Cas. Conf. L. II. c. XII. cas. XI. p. 337.* quia verisimile sit, Christum in ultima cœna, qua finita, Sa-
cra-

cramentum Eucharistiæ instituit, vinum non merum, sed mixtum bibisse; sed consilium hoc periculosum pronuntiat, ne cum Pontificiis collidere videamur, qui hanc aquæ cum vino mixtionem, ut necessariam defendunt. *Concil. Trid. Sess. 22. c. 8. Tertio, prorsus abstinendum esse à Cœnæ S. usu Abstemiis*, admonuit *B. Lutherus T. I. Jenens. Germ. f. 318.* cui sententiæ tutissimo subscribi posse judicamus. Sic enim nihil contra institutionem Christi agunt, nec se frivola mutilatione hujus Sacramenti contaminant. Acquiescendum est illis hominibus, quorum vices dolemus, in spirituali tantum corporis Christi manducatione, & spirituali sanguinis Christi bibitione, ad consilium *B. Augustini: Crede & manducasti.* Poterunt interim celebrationi sacræ cœnæ, cum voto usurpandi hoc Sacramentum, sæpius interesse, beneficia Dei considerare, eaque vera fide sibi applicare, precibusque ad Deum devotissimis eò allaborare, ut nauseam hanc vincant atque digni hospites fiant Sacramenti saluberrimi. Qua de re audiamus verba *B. Matthiæ Hoë ab Honig*, Theologi apud Saxones dum viveret, atque Antistitis celeberrimi, in dem *Evang. Handbüchlein wider die Pabstler/ Art. X. p. 256.* Ein *Abstemiis*, oder einer/der sonst keinen Wein trincket/ kan seinem HERN JESU zu Ehren und zu seiner Seelen Seeligkeit/ durch GOTTES Gnade ja noch wol ein/2. oder 3. Tropffen nehmen/ohne seine Ungelegenheit/wen er fleißig betet und Gott anruuffet/wie ich dasselbe mit meinem Exempel bekräftigen kan / der ich auch von Natur einen Abscheu vor den Wein getragen habe. Gleichwol hat mir GOTT der H. Geist/dem hievor Lob und Danck sey / noch allezeit / auff vorhergehendes andächtiges Gebet/ die Gnade gegeben/das ich den gesegneten Kelch
im

im Hochwürdigem Abendmahl habe gebrauchen können/
das wird Gott andern auch thun / die ihn darumb an-
ruffen/2c. Conf. D. Cass. Finckii Syllog. qu. illustr. sect. II.
qu. 102. p. 661. Illi autē, quibus hæc infauſta fors contingit,
ut Sacramento hoc carere necesse habeant, non possunt
Contemptorum numero haberi; Ille titulus enim attingit
tantum illos, qui necessitate non excluduntur; *Hic
necessitas non habet legem*, ut *7Cti* loqui solent. Defen-
dunt præterea sententiam Lutheri, quos conferre po-
tes, *Jo Gallus*, Prof. olim Erphord. Meth. doct. de Cœ-
na, ed. Erfford. 1578. qu. 5. *Mart. Chemnitius*, Instruct. fut.
Min. Eccles. c. VII. §. 8. p. m. 344. *Jo. Gerhardus*, Loc. The-
olog. T. V. Art. de Cœna S. Th. 227. p. 480. *Simon Pauli*,
Prof. Rostoch. Meth. Loc. doct. Eccles. p. III. *Cass. Erasm.*
Brochmandus Syst. de Cœna Caf. IX. p. 3065. *Fridr. Baldui-
nus*, l. c. *Georg. Königius*, Caf. Catech. c. VI. Caf. IV. p. 522.
Jo. Ad Osiander, Theol. Caf. P. IV. c. V. p. 434. *Jo. Ern. Ger-
hardus*, Theol. Jen. sing. de hac Quæst. disp. Jen. 1666.
hab. aliique quam plurimi Ecclesiæ nostræ Doctores.

§. XXV. Hactenus itaque expeditum esset: *An
sit communicandum?* Quod opus erat clarum manife-
stumque reddere, quando cum Cœnæ S. Contemptori-
bus nobis est agendum. Jam de alio argumento dis-
quirendum: *Cur sit communicandum?* Quo ipso salus ex
hac Cœnæ S. frequentatione haurienda demonstrari, &
tanti Epuli eminentia patefieri poterit. Nemo Docto-
rum Ecclesiæ, nostro iudicio, accuratiori & proluxio-
ri studio hanc de fine Cœnæ Dominicæ doctrinam ex-
cussit, *B. Henrico Hæpffnero*, Theologo, Seniore & Prof.
Lips. Primario, de Ecclesia Lutherana longe & immor-
taliter meritissimo, in Isag. ad salutarem usum Cœnæ.

H

Do-

Dominicæ duobus Tractatibus, Theoretico & Practico comprehensa, Lips. 1646. edita. P. I. Sect. III. Art. II. p. 306. sqq. Non puto vitio nobis verti posse, si, quæ ad institutum nostrum faciunt, excerpamus ex libro illo, omnibus commendando, quem ideo curâ *Venerandi nostri Prasulis, Dn. Mayeri* recusum propediem exspectamus. *Trium* vero generum facit Finem Eucharistiæ, laudatissimus Vir: *Alium* referendo ad Christum, *aliu*m ad ipsos *communicantes*; *aliu*m denique ad ipsum proximum. Rursus Finem, qui ad Christum refertur, distinguit in *Recordationem & Commemorationem* Christi; *Illa* alia *Theoretica* est, cum historiam meritorum Christi semel agnitam, ejusque causas ex verbo DEI cognitatas, iteratis cogitationibus repetimus; alia *Practica*, cum pio affectu recolimus Christi mortem, & beneficia per eam acquisita, quæ *contritione, fide & nova obedientia* præstatur. *Hæc* vero dignis sermonibus revocat meritum ejus, & alios quoque ad eorum meditationem excitat. Finis in respectu ad *Communicantes*, est partim *supernaturalis nutritio & augmentatio communicantium*, partim *fœderis* cum Deo initi, & vel hæctenus continuati, vel rupti, sed per veram pœnitentiam renovati, *obsignatio*, quæ multa secum fert bona fœderalia, quorum *alia* sunt beneficia DEI, ita ut simul pertineant ad officium nostrum, *Fides*, quæ certioratur, & confirmatur, *Spes* quæ roboratur, *Charitas*, quæ excitatur; alia sunt tantum beneficia DEI, ut *Justificatio, seu Remissio peccatorum, & Sanctificatio*, auctior certiorque reddita; partim denique *continuatio & certioratio presentia gratiosæ*, atque *fideliu*m cum Christo arctior *conjunctio*. Finis tandem, qui ad proximum pertinet, est *tum separatio Christianorum à paganis, tum charitatis testi-*

fica

ficatio. Quæ omnia Magnus *Hæpffnerus* erudito discursu illustrat ibidem, & autoritate Scripturæ S. demonstrat.

§. XXVI. Summam & Caput fructuum ex S. Cœnæ frequentatione percipiendorum, ad S. Codicis expressam literam *B. Lutherus* in *Catech. Min.* p. 381. *facit Remissionem peccatorum*; Ad quæstionem enim. *Quid prodest, sic comedisse & bibisse?* Responsio hæc sequitur: *Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.* Nempe, quod nobis per verba illa in Sacramento remissio peccatorum, vita, justitia, & salus donentur. Ubi enim remissio peccatorum est, ibi est & vita & salus. Circa hunc Eucharistiæ usum, missis cæteris, nostra potissimum opera jam versabitur; cum ille à multis hodie Fanaticis impugnetur & plane negetur, qui eo ipso Contemptoribus Cœnæ multum hætenus sunt patrocinati *Socinianismi* Autores & Propagatores, fere junctis viribus saluberrimo omnium beneficiorum DEI fructu, Cœnæ Sacramentum defraudare contendunt. Dicunt enim nudam esse ceremoniam illud, qua nec beneficium aliquod spirituale conferatur, nec quicquam in mente hominis efficiatur; Neque remissionem peccatorum, neque fidei salvificæ confirmationem communicantibus obtingere, quia hic ritus sit solum signum factæ olim passionis Dominicæ. Ita *Catechismus Racoviensis*, qui est symbolum confessionis Socinianæ, ad Quæst. Nonne alia causa (præter commemorationem mortis Domini) ob quam cœnam instituit Dominus, superest? Respondet: Nulla prorsus: *Et si homines multas excogitarint, cum aliqui dicant, usu hujus se consequi remissionem peccatorum & fidem firmare.*

c. III. de Cœna Dom. qv. 5. Erroris illius facti fautores

H 2

præ-

præterea ipse *Faustus Socinus*, Senensis, de usu & fin. Cœn. Dom. brevi Introd. & Append. nec non in verbis ex Socini cum aliis colloquentis ore raptim excerptis, T. I. Biblioth. Fratrum Polon. Irenopoli 1656. edit. p. 773. *Christoph. Ostorodus*, Instit. Germ. c. 38. f. 330. *Jo. Volkelius*, L. IV. de vera Relig. c. 22. f. 317. *Jonas Slichtingius*, contra B. Meisnerum de Trin. f. 791-830. Argumenta, quo errorem suum defendere student, satis refutarunt, B. *Jo. Gerbardus*, Loc. Theol. de cœna p. 177. *Vitenbergensium* Refutatio Catech. Racov. p. m. 379. *Balth. Meisnerus*, Confid. Theol. Photin. c. IV. p. 580. seqq. *Jac. Martini*, Synopsi Relig. Photin. c. XVI. p. 420. seqq. *Jos. Stegmannus*, Super. Schawenburg. in Photinianismo, disp. 51. p. 592. seq. *Abrah. Calovius*, Socin. proflig. de S. Euchar. contro. V. p. 910. *Casp. Mauritius* Prof. Rostoch. Exercit. Anti-Socin. Hamb. 1669. edid. disp. VI. Th. 8. p. 691. seq. *Jo. Ad. Schertzerus* Colleg. Anti-Soc. disp. 112. p. 965. *Justus Christoph. Schomerus*, in Colleg-Antifoc. 1706. ex Msscr. à Dn. D. *Henr. Ascan. Engelke* Rostoch. per disp. edito c. XIIIX. de Euchar. qu. 4. p. 226. & Dn. D. *Mich. Müllerus*, Theol. Tubing. in Tessaradec. Evolut. Sacr. Evol. IX. p. 295. seq. 329. seq.

§. XXVII. Inter recentiores ex Socinianorum secta, ad eandem erroneam sententiam inclinat *Steph. Curcellæus*, Relig. Christ. Institut. L. VII. c. IIX. de fidei causis, §. 10. Oper. Theol. Amstel. 1675. f. p. 467. 468. Vocat Sacramenta ibidem tantum ritus, neque titulum Sacramentorum concedere vult; Fidem vero per cœnam ingenerari, augeri, & corroborari, talemque in scriptura Cœnæ tribui effectum, negat; solius præstandæ gratitudinis ergo pro morte Christi, eandem institutam esse docet, tandemque concludit his verbis: *Aliam vero*

Sa-

Sacramentis virtutem attribuere, distinctam à verbo eis adjuncto, superstitione non vacat. Porro à partibus Socinianorum, circa hoc argumentum stantem quoque *Thomam Hobbesum*, Malmesburiensem, in *Leviath.* c. 35. p. 193. eò quod *Sacramenta, esse tantum nuda signa admissionis in Regnum DEI, & in memoriam tanti beneficii instituta*, statuerit, *Gisbertius Cocquius*, V. D. M. apud Batavos, introduxit, ejusdemque errorem castigavit in *Anatome Hobbesianismi*, Traj. ad Rhen. 1680. 8vo. *Ad Remonstrantes* devenimus, non minus Socinianorum vestigiis insistentes, quod memoriam tantum commemorationem mortis faciant finem S. Eucharistiæ, *Confessio Arminianorum*, c. XXIII. §. 4. p. 92. aliosque usus aut fines spirituales non agnoscant, *Apol. pro Confess.* p. 235. Ipse *Simon. Episcopus*, disput. Theol. Tripart. Part. III, disp. XXX. Th. X. Opp. Theol. quæ Amstelod. 1665. prod. Tom. II. p. 459. omnium clarissime sententiam eorum his verbis expressit: *Finis seu effectus hujus celebrationis, non est gratia alicujus efficax collatio, quæ ex vi Symbolorum, licet legitime usurpatorum, in animam insuat atque redundet, sed sola tantum representatio ac Significatio mortis & beneficii illius ingentis, quod per mortem Jesu Christi nobis partum atque comparatum est.* Similiter recentior inter Remonstrantes Theologus Professor, *Philip. à Limborch*, Theol. Christ. L. V. c. 72. p. 620. sqq. de omni beneficio in S. Cœnæ usu accipiendo tacet, tres constituens fines ejusdem, qui non tam conferant, quam repræsentent tantum DEI gratiam, scilicet commemorationem mortis Christi, testificationem nostræ cum Christo communionis, & publicam fraternam charitatis professionem. Vide contra sectæ hujus Remonstrantium defensores, *B. Abrah. Calovii Confid. Arminianismi*, c. xxiii.



disp. 24. §. 13. p. 571. seqq. Pergimus ad *Latitudinarios in Anglia*, quos Socinianorum, qui etiam Unitarii vocantur, furculos facit *Petrus Jurius*, in Libro, quo simul Historiam & Hypotheses præcipuas illorum enarravit, gallico idiomate conscripto, sub hoc Tit: *La Religion du Latitudinaire avec l'Apologie pour la Sainte Trinité*, Roterod. 1696. 8vo. Vocem denominandi illos in Anglia ortam esse scribit; Nomen vero eos à latitudine sortitos esse, non quod ipsam doctrinam Christianam dilatent & extendant, quippe quam angustis admodum limitibus potius circumscribant & coarctent; sed quod media perveniendi ad salutem extendant, dum non tantum hæreticis omnibus, sed gentilibus ipsis atque judæis viam ad æternam vitam patere doceant; id quod hodiernitiam *Indifferentista*, pessime propugnant. Autorem sectæ hujus certum indicari posse negat; constituit interim sectæ hujus Principes, (quos Remonstrantes alias sibi inprimis vendicant,) *Curcelleum*, *Episcopium* & *Hug. Grotium*, quorum nomina omnibus Latitudinariis perquam sint veneranda. Addit verò à Socinianis & Remonstrantibus illos in eo differre, quod non palam, quid sentiant, profiteantur, sed cuncta dissimulent, tegantq; idq; omni ratione annitentur, ut pro Orthodoxis reputentur. Tandem strenuum hujus Schismatis Patronum hodiernum appellat *Eliam Saurinum*, quo cum publicæ etiam *Jurio* intercedebant lites gravissimæ; & qui, eundo tractatum, cui titulum fecerat: *Examen de la Theologie de Mr. Jurieu*, Hagæ Com. 1694. 8. præcipuam huic de Religione Latitudinarios scripto, occasionem suppeditaverat. Prodiit tandem opusculum quoddam Londini 1697. in 12. impressum, quod pro Systemate omnes

mnes ad religionem Latitudinariam spectantes articulos comprehendente postulat haberi Autor illius, qui suum nomen reticere consulto voluit. Ipse Titulus librarissimi sequens est: *Latitudinarius Orthodoxus I. in genere, de Fide in religione Naturali, Mosaica & Christiana, II. In particulari, de Christiana Religionis mysteriis, sancta Trinitate, Christi Incarnatione, Corporis Resurrectione, & Cœna Dominica. Accesserunt Vindicia Libertatis Christiana, Ecclesie Anglicanae & Arthuri Bury S. T. P. contra ineptias & calumnias P. Jurien.* Quid sentiant Latitudinarii verò de Cœna Domini, probat Cap. IIX. p. 140. seqq. Quo ipso Autor totus in eo est, ut ex historia temporum se mutuo excipientium ostendat, mutatum esse in mysterium id, quod pro tali Christus nunquam agnoscendum voluerit: quippe, qui in Cœnæ suæ institutione hoc solum jusserit, ut traditio illa, quæ alias convivia omnia pane & vino consecranda, ad commemorationem benignitatis divinæ, corpora donis suis fovendis, præceperit, perpetuo observaretur; sed altius evecta in corporis & sanguinis Christi animas spiritualibus beneficiis enutrientium, commemorationem. Hoc innuere ipsa institutionis verba, huc & respicere Paulum 1. Cor. XI. contendit, à quibus, quod in alia omnia circa hoc negotium tam multi abiierint, rem maxime dolendam asserit. Conf. quæ ad Histor. hujus Schismatis spectant, apud *Act. Erud. Collect. Lips.* Anno 1695. p. 193. 1697. p. 57. 58. & p. 493. Meminit illius de Cœna S. sententiæ, tum etiam Magnif. h. t. Acad. Rostoch. Rector, Dn. D. Zach. Grapius, in Fasc. Controv. Recent. Exotic. Rostoch. 1705. publ. disp. excuss. Loc. XIIIX. de Sacram. Errore X. Non dubito his statim adjungere *Liberium de S. Amore*, quod nomen tegit *Jo. clericum*, in
 ean-

eandem cum Latitudinariis ruentem sententiam. Postquam enim ille Epistolar. Theolog. in quibus varios Scholasticorum errores castigasse Autorem titulus testatur, Irenopoli 1679. 8vo. edit. Ep. VII. de Institutionis Theologicæ Ord. ac Meth. p. 235. seq. differuisset, quod Christus hac Cœnæ suæ institutione, ritus Judaicos Evangelio accommodasset, id quod ex analogia hujus Sacramenti, cum quibusdam V. T. ceremoniis probare annitur, demum p. 237. inquit: *Ex brevi ista descriptione ritus Cœnæ Dom. facile colligere est, eos turpiter hallucinatos esse, qui hic mysteria quasi vè: simplex enim est ceremonia, cujus & natura & usus perspicue nosci potest. Patet hinc quoque extra Scripturam loqui, qui ajunt, eam esse signum fœderis Evang. quo Deus promissa ac fidem nostram obsignat, cum nihil sit, præter ritum eo sine institutum, ut celebremus charitatem Christi, qui corpus suum frangi ac sanguinem effundi propter nos passus est, qui, si pio animo fiat, Deo nos gratos reddit, quemadmodum, si quis pie verbum audiat, Dei favorem sibi conciliat. Denique hinc noscere est, quam imperitè Cœnam vocaverint Greci *μυστήριον*, & Latini Sacramentum.*

§. XXVIII. Ex Quackerorum turba non defuerunt, qui eundem de omni spiritali efficacia S. Cœnæ dene-ganda, errorem erraverint. Princeps Schismatis, quo doctiorem non habuerunt Quackeri, *Rob. Barclajus*, Apol. suæ Conf. Th. XII. n. II. illud his verbis impiis inficiatur. *Certò scimus, diem illucescere, in quo surrexit DEUS & colendus est solum in spiritu, iisque qui illi attendunt apparet, & scimus etiam, quod in istis DEUM querere, est cum Maria in sepulchro Christum, imo vivum inter mortuos querere.* Et *Schewenius* de veri Christ. fide & Experient. c. 6. p. 113. 114. scribit blasphemè: *Licet Christianus nominalis* (quo titulo appellat omnes

omnes, qui Quackerorum fugiunt consortium) sæpius externum panem edat, & externum poculum bibat, quod ex inscitia Cœnam Domini vocat, nihilominus esurit & sitit, fructum vetitum & vinum Sodomæ ac Ægypti, atque malitiam non aliter, ac bos aquam exhaurit. In fine igitur, quomocunque confessio ejus de Cœna Domini & de Manducatione in mensa ejus se habeat, anima tamen esurit & sibi conficitur, laborat in vanitate, seminat in ventum, atque metit turbines iræ divinæ. Si placet, evolvi. Parentis nostri D. Sam. Schelguigii Quack. Confut. Parte II. Art. XXIV. Hypoth. X. p. 398. 399. 420. 421. Ex illis, qui Fanaticismo suo, in viscera nostræ Religionis Lutheranae, inter nos, irruunt, iterum hic *Christ. Democritum* in scenam producimus; Expresse ille negat Eucharistiæ Sacramentum, esse signum ipsius Corporis Domini & Sangvinis divini exhibitivum, in peccatorum remissionem, & gratiæ confirmationem, tantum facit illud signum amoris divini commemorativum. Hæc sunt verba illius, Glaubens-Bekändniß Art. IX. p. 53. Von des Herren Nachtmahl lehre und halte ich nach der Schrift (mentiris Cain) daß es nach der Absicht Christi nichts anders sey/ als eine Verkündigung des Todes Christi/ und eine Gemeinschaft der brüderlichen Liebe/ daß dadurch keine Vergebung der Sünden/ Leben und Seeltigkeit gegeben werde/ durch eine erdichtete Sacramentliche Vereinigung. Consule hac de re supra citati Dn. D. Neussii, Probat. Spirit. & Doctr. Democr. Quin ipse *Godofr. Arnoldus*, videtur suum quoque inter impugnatores salutaris de peccatorum remissione usus, in Cœnæ Sacramento, mereri locum; dum enim mentem suam de S. Cœna explicat, confessionemque quasi edit, quid credat de hoc fidei Articulo, in der Er-

J

kläh-

klärung contra Dn. Cypriani, c. III. §. 1. p. 34. tantum memoriam Christi, & mortis prædicationem, suæ frequentationis hujus Sacramenti finem constituit. Die vierdte Anklage (scribit ibidem Arnoldus,) des Herrn Cypriani wider mich ist diese: Daß ich mich des Heil. Sacrament des Altars nicht bedienete: Worauff kürzlich die Antwort ist: Daß ich allerdings nach Christi klaren Worten / und der ersten Apostolischen Kirche Exempel und Weise / des HERN Nachtmahl zu seinem Gedächtniß und Verkündigung seines Todes / (hic finis majusculis literis denotatur) halte. Adde verba §. 2. Wann ich dieses dargethan werde haben / so muß ich ferner auch zeugen / ob und wie man Freyheit in Christo habe / NB. sein Gedächtniß ausser dem gemeinen Mißbrauch auf alle zulässige Christliche Weise zu begehen. Idem sentendum esse putamus de Autore der zwölfften teutschen Hallschen Anmerckung / cujus illa §. 20. p. 263. de fine S. Coenæ legitur sententia. Ein jeder Mensch / der ein Christ und sein eigener Seel-Sorger seyn wil / kan dabey nicht mehr thun / denn daß er ihm das Heil. Abendmahl recht einbilde / und die Meynung Christi darinnen recht verstehe / nehmlich daß es ein Gedächtniß seines Todes / das ist ein herrliches Glaubens = Zeugniß / und Bekantniß von Christi Unschuld / und von der Frucht und Krafft seines Leidens seyn solle / nicht daß Christus eine gesetzliche Ceremonie gestiftet hätte / welches er nie im Sinne gehabt.

§. XXIX. Verum enim verò, quicquid negent hi longo numero, & unamini fere consensu Adversarii, confirmationem remissionis peccatorum in S. Coena, illis qui eandem digne accipiunt, vere conferri, possumus iisdem pro sententia nostra stabilienda opponere:

Par.

Partim naturam omnium fœderum, mediantibus victimis initorum, quorum proprium est, ut utraque pars confœderatorum de victima fœderali participet, atque ita fœdus firmum fiat. Ita enim, quod exempli gratia adducimus, in fœdere illo DEI, inito cum populo Israelitico, dimidium sanguinis fœderalis super altare effusum, DEO offerebatur, alterum dimidium crateri inferebatur & populus eodem aspergebatur, Exod. XXIV. 5. 6. Ita ex certa portione carnis victimarum, instituebantur solennes epulæ, quibus gratia DEI & remissio peccatorum, victimas offerentibus fuit confirmata, Levit. IV. 3. VI. 30. Jam verò, quod in aliis fœderibus obtinebat, mediantibus victimis initis, id, quomodo negari potest de illo fœdere, cujus victima, quæ ipse DEI filius, Christus Salvator mundi erat, æque pretiosa in orbe nunquam extitit, neque amplius existet. Pari enim fere ratione Christus inter DEUM & nos fœdus fanciens, corpus & sanguinem suum, ceu *λύτρον* pro totius mundi peccatis pretiosissimum, ad placandam & delendam Patris iram, non solum DEO Patri in crucis ara sanctissima obtulit, sed etiam in S. Cœna manducandum & bibendum nobis præbet, ut de remissione peccatorum & receptione in fœdus gratiæ, certi reddamur, qui digne accedimus ad mensam Domini, & victimam illam fœderalem ineffabilis sanctitatis, fide sancta participamus. Plura de hoc argumento qui requirit, adeat *B. D. Wolffg. Frantzii. Theol. Vitenberg. Scholam Sacrific. Disp. VI. & XIII.* Partim ille finis S. Euchari-
sticiæ in ipsis verbis institutionis, ut principalis expresse indicatur, & designatur; *Hic est sanguis meus, vox Christi ad discipulos est, sanguis N. T. effusus pro multis, arrigite Aures, Hostes veritatis! in remissionem peccato-*



rum, Matth. XXVI. 29. Si autem effunditur in remissionem peccatorum, ea etiam in sacramentali usu in eundem finem applicatur à fidelibus; neque opus fuisset effusione sanguinis Christi acquisitoria & meritoria, nisi per media à DEO præscripta, inter quæ & S. Cœnæ usus numerandus est, applicanda fuisset illa pretiosissima remissionis peccatorum consecutio. Inviçtissimum autem argumentum nostrum ex verbis institutionis desumptum semper esse, facile constat, quia in genere verba institutionis alicujus Sacramenti norma sunt & Canon omnis decisionis, tanquam illius sedes propria; neque præsumi potest in tali sede aliquid pro fine allegari, quod ad finem principalem nullo modo pertinet; Eiusdem enim est Sacramentum aliquod instituere, & finem illius principalem constituere & designare. Nolumus porro urgere à partibus nostris, *carnem Christi vivificam* esse, eamque qui edit, & sanguinem ejus bibit spiritualiter, non minus *in Sacramento*, quam *extra Sacramentum*, vitam habere æternam. Joh. VI. 51. 53. 54. Claudat Aphorismum nostrum, quod satis fit, pulcherrimus ad probandam peccatorum remissionem in S. Cœna consequendam, *B. Lutheri climax: Calix Eucharisticus continet vinum. Vinum exhibet Christi Sanguinem. Sanguis Christi completitur N. T. quia est N. T. sanguis. N. T. continet remissionem peccatorum. E. Bibitio ex calice Eucharistico, applicat, ob-signat, & confirmat credentibus promissionem de remissione peccatorum.* Vid. *Jos. Stegmannus*, l. c. p. 593.

§. XXX. Sequitur novum rei caput explicandum: *Quoties sit communicandum?* Singularis Petrobrusianorum inter alias hypothesis fuit, *Cœnam S. à Christo institutam esse, ut semel tantum cum Apostolis celebraretur; neque ampli-*

us jam hominibus dandam & concedendam: Habent illi no-
men à *Petro de Bruis*, ortu Antwerpiensi, officio Sacer-
dote, seculo XII. dogmata sua cum Aſſeclis in Gal-
lia, Septimania, Arelatensi, Ebredunensi, Dienſi, aliis-
que Episcopatibus, ſpargente, conventusque ſuos im-
primis Tolofæ inſtituente. Horrendos errores eidem
imputarunt Pontificii, eumque in Concilio Lateranen-
ſi VII. quod generale II. ann. MCCXXXIX. ſub Innocen-
tio à mille circiter Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſco-
pis, &c. celebrato, damnatum, igni tradiderunt concre-
mandum. Sed præſenti animo Petri fidem profeſſus
poſtea eſt *συβεργός* illius, Monachus quidam, *Henricus*
de Tholouſe appellatus, à quo *Henriciani* dicti ſunt; *Apoſto-*
licos etiam quidam vocarunt, quod juxta Apoſtolorum
doctrinam vitam ſuam ſe inſtituere gloriati fuerint. Mul-
tos à Pontificiis illis adſcribi errores, qui nunquam illis
in mentem venerint, judicant *Centuriatores Magdeburgenſes*,
hæreſeosque notam illos præter meritum incurriſſe, ex
nulla alia cauſa, quam quod *falsas quasdam opiniones, & abu-*
ſus quosdam taxantes, incurrerint in odium & reprehensionem
eorum, qui vel corripere noluerunt; vel metuerunt, ne ampliſſi-
mi ipſorum quæſtus corruerent, & extenuarentur; Inde iſtis mo-
nitibus poſtea plura, quam par erat, ut ſolet accidere, afficta
ſunt. Refutorem hypotheſium illis adſcriptarum ſe
exhibuit, *Petrus, Abbas Cluniaceniſis*, tanto in illos Zelo in-
ſurgens, ut non ſolum ſtylo contra illos procedendum,
ſed armata vi eosdem exturbandos, & igne, gladioque eji-
ciendos putaverit. Conf. de illis *Hiſtor. Centur. Magd.* edit.
Bafil. 1624. Cent. XII. c. V. p. 331. 338. *Guil. Cave Script. Eccleſ.*
Hiſt. Lit. Sec. Waldenſi p. 412. *Bohem. Hiſt. Eccleſ.* p. 943. *Roſ-*
ſeus de Relig. p. m. 281. *Micraëlii Hiſt. Eccl. L. III. ſect. I.* p. 605.



Si vero ita docuerunt atque senserunt, prout Pontificii testantur, S. Cœnam nulli Christiano amplius porrigendam, quia Christus unica cum Apostolis ejusdem celebratione, rem omnem absolverit, reprehensionem merentur; Adest expressum de continuando S. Cœnæ usu mandati verbum, 1. Cor. XI, 26. *Quotiescunq; comederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem Domini commemorate, usq; dum venerit.* Deinde, eadem Christi ut Sacramentum Cœnæ pie continuaretur, voluntas est, quæ fuit de baptizandis, suo exemplo omnibus Christianis; quæ fuit de verbo Dei, omni mundo prædicando. Matth. XXIX, 19. Baptismo itaq; & Evangelio concessio, quid vellemus & Cœnæ usum interrumpere aut plane omittere. Tandem, sistimus adversæ sententiæ Refutorem ipsum D. Paulum, qui primam Christi institutionem, tanquam fundamentum & normam suæ inter Corinthios S. Cœnæ dispensationis allegat: *Accepi à Domino, quod dedi vobis; Jesus enim nocte illa, qua proditus est, accepit panem, &c.* 1. Cor. XI, 23. & 1. Cor. X, 16, inquit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. X, 16. quo ipso innuit, non solum Christum benedixisse calici, atq; fregisse panem, sed adhuc ritum hunc in Ecclesia observari. Ut jam non multis attingamus, præcepta de frequentanda Domini mensa Corinthiis data, ad quoscunque homines pertinere: *Quicumq; manducaverit; Probet se ipsum homo, & quæ sunt cœtera ibidem à Paulo indefinite posita.* Cœterum præter errorem circa S. Cœnæ usum à nobis jam notatum, Dn. D. Friedr. Ulricus Cælixus, Centur. Theol. Helmest. ventil. §. 78. de Sacram. Anti-Petrobrufianam Thesin & hanc facit: *Quam*

quam

quam Sacramentum Baptismi iterandum non sit, longe tamen alia conditio est alterius Sacramenti Eucharistia; sed dubitamus, an ab alio unquam hæc sententia, Petrobrufianis fuerit adscripta, tacentibus Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, quorum autoritate hic est pugnandum. Potius illi inique statuisse dicuntur: *Baptizatos in infantia, postea adultos iterum baptizandos*, adeoq; Baptismum reiterandum esse; quarum hypothesium una, tollit alteram. Vide Hypoth. IV. Petrobruf. apud Centuriat. Magdeb. l. c. p. 332.

§. XXXI. De Communione S. Cœnæ, utrum illa frequens esse debeat, in Gallia, inter Theologos Pontificios acerrime fuit controversum. Scripserat superiori Seculo circa annum XLIII. *Petrus de Sesmaisons*, Nannentensis Gallus, è Soc. Jesu 1648. demortuus, gallico idioma-
te Tractatum de Quæstione: *Si l'est meilleur de communier souvent, que rarement. Sitne melius frequenter, quam raro S. communionis in Eucharistia participem fieri*; in quo opusculo pro frequenti communionem pugnatur. Nondum vero lucubratio hæc typis fuerat edita, cum forte in manus, *Antonii Arnaldi*, haud obscuri nominis inter Sorboneos Parisiis, Theologiæ Doctoris, incideret, qui statim conatus est eandem refutare, in prolixo satis opere *de frequenti communionem*, cui parvum Jesuitæ *de Sesmaisons* tractatum, quanquam nè semel quidem nominato Autore, membratim sectum inseruit, ut facilius refelleret; Et quidem pœnitentiæ potius disciplinam, quam frequentem communionem Christianis diligenter inculcandam censuit Arnaldus. Titulus totius libri hic est: *De la frequente communion; ou les sentimens des Peres, des Papes, & des Conciles, touchant l'usage des Sacramens de Penit-*
nitent-

nitence & de Eucharistie, sont fidèlement exposez: pour servir d'adresse aux personnes qui pensent serieusement à se convertir à Dieu; & aux pasteurs & confesseurs zelez pour le bien des ames, par M. Antoine Arnauld, Prestre, Docteur en Theologie de la Maison de Sorbonne. Plurimæ libri hujus editiones Gallicæ habentur; Latino idiomate ab ipso Autore donatus, Paris. prod. 1647. 4to. Qui desiderat scire, quæ porro propter litem illam ab utraque parte à Gallis sint edita Scripta, adeat Catalogum Bibliothecæ, quam collegerat Parisiis *Carolus Mauritius le Tellieur*, Archi-Episc. Ducis Remensis, editum Lutetiæ Paris. 1693. f. p. 51. & 56. Inter alios, Adversarios nactus est *Arnoldus Dionys. Petavium*, & *Carolus Franc. d' Abra de Raconis*, Episc. Vaurumensem, (de la Vaur.) Jesuitarum infensissimum odium hoc ausu suo *Arnoldus* incurrerat, qui non solum eundem acerbissimis scriptis petierunt, sed eo allaborarunt, ut Romam, licet Pontifice eum non citante, nec de eo quicquam exoptulante, citatus, per tempus ferme 25. annorum patria exulare fuerit coactus; quamvis, ut dicamus quod res est, non ille solum de Communioneliber, sed alia insuper certamina, quæ ipsi cum Jesuitis intercedebant, stomachum Adversariorum moverant; Inter alia, Loiolitæ autoritatem sibi & gloriam adversus *Arnoldum* quæsierunt, ex disputatione publica, quam 1646. d. 10. Jul. in Sorbonica palæstra Princeps, stirpe Regia natus, *Armandus Borbonius de Conti*, sub præfidio Coadjutoris Parisiensis, postea *Cardinalis Radeslani* (de Retz) de gratia, pœnitentia, & eucharistia habuit, tanto elogio ea de causa à *Steph. Campiano* (de Champs), Professore suo, & tum temporis Rectore Collegii Paris. deinde Superiore Domus professæ, mactatus, ut suffragio Cleri Gallicani, pro

pro Augustino haberi diceretur. Princeps *Contius*, quod obiter observamus, quia in adolescentia sacris destinatus erat, ut Doctor fieret Sorbonicus, dignitatem Theologiæ primam, quam Baccalaureatum vocant, jam obtinuerat. Non ausus est Arnaldus Principi, ad ea quæ in dissertatione posuerat, respondere; Respondit tamen Petavio, cui Princeps auxiliaris erat, & cujus consilio quoque potissimum disputatio illa erat scripta, & ventilata. Ipse Princeps verò postea, ab opinionibus, quarum strenuus defensor fuit, retractus, in partes Arnaldi demum abiisse dicitur. Vide de his *Lettres du Prince de Conti*, Colon. 1689. in 12. quarum excerpta dederunt *Lips. Act. Erud. An. 1689. p. 428. M. Aug. & Claud. Seravarii*, Senat. Paris. qui Arnaldo favisse videtur, *Epist. LXXIII. p. 71. quarum Epistolarum Volumen, cum Marqu. Gudii Epist. curante Petro Burmanno, Ultraj. prod. 1697. 4to.* Odii ex hac controversia in Arnaldum Jesuitici singulare Specimen quoque est, quod, cum V. Cl. *Perrottius* in *Elogiis Virorum Illustrum Galliæ, (les Eloges des hommes illustres)* locum huic Arnaldo quoque ex merito concessisset, licet privilegiis Regiis fuerat munitus ille liber, tamen Auctori & Librario autoritate postea summa fuerit injunctum, delere has omnes Arnaldi laudes nomenque hoc Jesuitis tantum exosum, expungere. *Conf. Bayle Dictionaire Historique & Critique in vita Arnaldi p. 377.* Fuimus quidem prolixiores in recensendis his, quam cogitavimus, sed non pœnitebit hæc evoluisse. Ad nos illa controversia tantum pertinet, propter negatum crebriorem S. Cœnæ usum, de quo jam brevissimas adhuc lineas ducere animus est. Commendandus statim erit *B. Jos. Arndii, Theologi Güstrov. Liber*

de frequenti communione, Güstrov. 1695. edit. ubi Theologiae practicae studiosis, ad sensum piæ antiquitatis hoc argumentũ quinq; Capitibus erudite explicatur, ita tamen, ut potissimum scopus hujus libelli sit, non rectum pronuntiare cœnæ Dominicæ usum, nisi vera antecesserit *δοκιμασία* & ostendere, quomodo frequens communio adjuvet, si vera adsit peccatorum confessio, quæ ipsa prolixè enodatur. Nostra hac de re sententia est, ob carnis nostræ infirmitatem, vel maxime hoc S. Eucharistiæ fulcimento egentem, & multiplicem fructum ac solatium in hoc sacramento nobis propositum, frequentissimam debere ejusdem esse usurpationem; idque quidem ad voluntatem sanctissimi Autoris; Vox enim instituentis S. Cœnæ Salvatoris: *Quotiescunque*; haud obscure innuit monetque, non semel, atque iterum saltem Sacramento à se instituto, utendum, sed frequentius & multoties. Si exempla apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ respiciamus, partim propter flagrantissimum in Christum amorem, partim propter præsentissimum persecutionum durissimarum, immo ipsius martyrii periculum, Christianos quotidie celebrasse Sacramentum illud constat. Teste Luca, Act. II. 24. XX. 6. fideles erant *quotidie perseverantes* (*προσκατεργυντες*) in *communicatione fractionis panis*; Idem testantur S. Patres Ecclesiæ: Augustinus Ep. 118. *Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico*, Cyprianus L. IV. Ep. VII. *Considerantes* (milites Christi), *idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere*. Add. Hieronymum Ep. 28. & 50. & Ambrosium L. 5. de Sacram. c. 4. Ex Eusebio L. I. de demonst. Evang. c. 10. etiam patet, *Christianos quotidie memoriam corporis & sanguinis Christi cele-*

cele-

celebrare consuevisse. Neque tantum hoc ex mera consuetudine, aut vi, vel metu anathematis observabant pii Christiani, quemadmodum hoc falso sic dicti canones Apostolici prætendunt, sed lubenti liberoque Spiritu, ex amoris in DEum teneritudine quotidie accedebant ad Cœnam S. Lege de communione quotidiana, *Petrum de Ledesma*, Primar. Theol. Prof. Salmantinum Ord. Prædic. Theol. Mor. circa doctr. de Sacram. à *Raymundo de Ladefou* ex Hispanico in Latinum traductam & Colon. Agripp. edit. 1630. c. XIV. p. 165. qui, si quædam cum grano salis legantur, cœtera non contemnenda hanc in rem commentatus est. Quamvis, ut *Chryso-stomi* verbis utamur Homil. V. in 1. Tim. I. *non sit audaciæ sæpius* (addimus quotidie) *accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere*, jam verò cessante illo persecutionum periculo, ritus ille primitivæ Ecclesiæ quotidianæ communionis, nunquam quidem culpandus, non observatur tamen amplius in nostra Ecclesia, propter contemptum & irreverentiam, quæ ex nimia hujus Sacramenti frequentatione, apud quosdam propter cordis malitiam suboriri posset, & metum, ne ex hypocrisi quidam accederent, si adhuc in usu esset ille quotidianus usus, adeoque occasio suppeditetur, abutendi S. cœna. Neque etiam tam absoluta est hujus Sacramenti necessitas, ut non alio modo conscientiæ illius consulere queamus, qui desideraret adhuc quotidianam communionem; Interim, ut sæpius quam proh dolor fit, accederent homines ad S. Cœnam optandum esset: Immo quemlibet crebriori frequentatione eadem uti posse, ac debere, si conscientia nostra curis aut tentationibus sit pressa, & natura Sacramenti, quod fidem nostram susten-

stentat & conscientiam erigit mulcet que, & exemplum *B. Lutheri* evincit, qui tempore Comitiorum Augustanorum 1530. cum de religione decertaretur, sex quolibet hebdomadam decursu, communioni S. Cænæ interfuit. *De Wellero* supra. audivimus. §. IX. p. 14. ut contrahamus scribendi vela, non potest certa aliqua regula præscribi, quoties sit accedendum ad Eucharistiam, sed cujusque conscientia, probationi & pietati hoc liberum est relinquendum; ita tamen ut admoneantur omnes, ne libertate hac abutantur, sed ex obsequio & reverentia erga Christum sæpius communicent; Metuendum enim est, ne, si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ vergat hæc longa ac diuturna frequentandi hujus Sacramenti omissio, quæ ut plurimum ex negligentia & tepiditate procedit. Summa dicendorum de hoc argumento hæc est: Factum non solum bonum, sed & valde salutare est, sponte atque frequenter interesse Cænæ Dominicæ, *quoties videlicet animæ cura, salutis necessitas, religionis fervor & devotionis ardor id postulaverit*, quæ sunt verba *Königii* cap. XI. de cæna. Conf. *B. D. Arnoldi Mengerling*, Scrutin. Consc. Catech. c. XIIIX. qu. 15. p. 1319. sqq.

§. XXXI. Restat ultimum argumentum expediendum: *Quando sit communicandum?* Si Historiæ Ecclesiasticæ volumina evolvamus, sæpe mutatum esse tempus celebrandi S. Cœnam, & mox statum, mox vagum in Ecclesia fuisse constabit. De quotidiana, fervente persecutionum æstu, communionem jam modo diximus; sed illa, decrescente primi in Christum amoris fervore, vix amplius tanto zelo desiderabatur, de quo conqueritur *Chrysostomus* Hom. 61. ad Antioch. *se quotidie frustra adesse ad Altare, cum vix accedant quidam ad Mensam Domini, ut fru-*

antur s. Cœna; hinc ex *Basilio* Ep. ccxxcix. edocemur, tantum quater per septimanam celebratam fuisse Eucharistiam. Postea singulis diebus Dominicis tantum accedere solitos fuisse Christianos ad mensam Dominicam, memorat *Augustinus* L. de Eccles. Dogmat. c. 35. Tandem cum plus defervesceret paulatim amor Jesu, & malitia hominum, qui nomen Christi præ se ferebant, incrementum sumeret, non solum permissum, sed vero præceptum fuit, ter quovis tantum anno frequentandam esse Domini Cœnam, videlicet in tribus festis solentioribus, Paschatos, Pentecostes & Natalitiorum Christi. Ita hac de re Can. xix. Concil. Agathensis, quod d. 3. Id. Sept. A. C. 506. sub *Symmacho* Papa celebratum est: *Seculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecosten, non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.* T. X. Concil. edit. Paris. 1644. Alii addiderunt tribus illis diebus festis, & Viridium Diem, qui ritus in primis tempore Augustini apud Christianos in Africa observabatur. Sed *Innocentius III.* Papa, testaturus, se non nimium flagrasse hujus Epuli desiderio, cœnæ usum ad Pascha, semel quotannis celebrandum legere strinxit; apud *Gratianum* c. xii. Vid. *Guil. Cave* *Erstes Christenthum* c. xi. p. 351. seqq. & *God. Arnoldi* *Wahre Abbildung der ersten Christen* L. II. c. xv. p. 329. sqq.

§. XXXIII. Statum tempus ad sacrum hoc Epulum celebrandum, certumque anni diem, videlicet XIV. Mart. quo die à Christo sit instituta Eucharistia, veteres quidam Schismatici destinandum esse voluerunt, quos ideo *Tessaradecatitas* & *Quartadecimanos* vocarunt Ecclesiæ Doctores. Vide de illis *Histor. Tripartit.* L. IX. c. 38. 39. Nostro tempore An. 1700 Autor *Anonymus*, quo de sub



initium hujus dissertationis jam quædam scripsimus, S.
 Domini Cœnam nonnisi in Paschate aniversario & so-
 lemnî ritu ab omnibus Christianis simul habendam &
 sumendam esse erravit; refutatus satis à summe venerab.
Dn. D. Thoma Ittigio, Super. Lips. in Disp. qua *δοκιμασιαν*
 Hypothes. Nonnemini de S. Cœna ejusque variis, ut
 quidem ipsi vocantur, abusibus, inter quos & ritum ab
 Ecclesia nostra hæctenus longo tempore receptum, quo
 diversi diverso tempore ad S. Cœnam accedunt, insti-
 tuit. Nos ita de hac controversia sentimus: Frequen-
 ter & sæpius adeundam esse mensam Domini; Cir-
 cumstantiam verò hanc temporis esse simpliciter libe-
 ræ observationis; Christus enim in verbis institutionis
 nihil hac de re præcepit. Itaque nos certo tempori
 non adstringimus, ne ipso opere operato DEO placere
 videamur; sed quotiescunque desiderium hujus Sacra-
 menti percipimus, & nos digne, quousque per infirmi-
 tatem semper nobis adhærentem licet, præparatos &
 probatos novimus, sive hoc singulis mensibus, sive sin-
 gulis anni quadrantibus fiat, ad Domini mensam piè ac-
 cedimus. Conscientiæ quippe anxietas, cui in hoc sacrati-
 ssimo convivio refectio quæritur, optima hic temporis
 mensura esse poterit. Et licet *Lutherus* præf. ad Min.
 Catech. non pro dignis, qui inter Christianos nume-
 rentur, habeat qui non ad minimum quotannis ter aut
 quater communioni S. interfuerit; non tamen eo ipso
 lege quadam aut anathemate certum tempus præfiri-
 re voluit, conscientiasque adstringere, ut frenum quasi
 injiceret eorum fervori ac Zelo, qui crebrius vellent
 hoc Sacramentum sumere; sed ad excutiendum apud
 ignavos torporem, & ut avocaret plurimos à supina ne-
 gli-

gligentia, qua persuadent sibi, si semel in anno convivæ hujus Epuli fuerint, se satis titulo Christiani dignos præstitisse, his verbis fuit usus.

§. XXXIV. Constat ex his satis superque, quæ hucusque fuimus commentati, qui jure Contemptorum S. Cœnæ infausto nomine appellentur. Qui erunt igitur illi homines, quos satis omnino de necessitate, eminentia, dignitate, ac salutari usu S. cœnæ informatos & instructos, posthabita & neglecta omni & publici & privatim facta admonitione, ut accedant ad Eucharistiam, præfracto consilio tamen abstinere à frequentatione cœnæ, & parum eandem curare, cum animi dolore, videmus & experimur. Cui datæ descriptioni adjungimus statim quæstionem: *An illi pro Christianis habendi, qui hoc modo rarissime aut nunquam vesci desiderant hoc sacro Epulo?* Non possumus per rei veritatem aliter, quam negantis responsionis defensionem in nos suscipere. Ita quidem est, quod Sacramenta simpliciter & absolute non sint necessaria ad salutem, tanquam efficientes causæ, neque per se ex opere operato, quod Pontificii volunt, verum Christianum faciant: Attamen ratione autoritatis, mandati & institutionis divinæ, quæ pro lege quasi colenda, respectu item nostræ fidei infirmitatis, necessaria sunt adeo, ut si quis usum illorum legitimum habere possit, nec tamen illis utatur, in peccatum incurrat gravissimum, & consequenter, Christiani nomine indignum se reddat. *Dedekenni* sententia consil. Theol. Vol. I. part. 2. L. 3. Sect. IIX. n. 4. illa est: *Contemnere hos medium salutis suæ, & clare significare, se nec carnem suam peccaminosam sentire aut agnoscere, nec peccatum ipsum, nec Diabolum credere, nec mortem ac infernum, quæ omnia ab officio veri Christiani abesse debent.*

bent. Solis illis titulus ille sanctissimus Christiani, hoc est, hominis ad Christi præceptum viventis, tribui potest, qui mandatis Christi lubenter morem gerunt, Joh. XIV. 23. Christi verò & Apostolorum serua voluntas est, ut S. Cœna crebrò utamur. Sacramenta sunt sigilla fidei nostræ, quæ eandem firmant, remissionem peccatorum conferunt, & promissionem vitæ æternæ obsignant; Qui præfracte abstinent ab iisdem, perdunt DEI sigilla. Scandalum insuper cœteris in cœtu Christianorum hoc S. Cœnæ neglectu præbent. *Sed vae eidem, qui est aliis scandalum!* Demum cœna S. inter alias causas, quod probavimus supra, in mortis Domini piam & devotam commemorationem, meditationem ac annuntiationem est instituta. Quibus autem non est curæ & cordi, ut Eucharistia frequenter fruantur, nihili faciunt mortem Christi, qua à peccatis redempti sunt; Qua vero specie veri, Christiani nomen illi mereantur, ut nihil amplius addamus, testetur & nominis & officii Christiani sanctitas. Patrocinantur sententiæ nostræ Theologi Jenenses apud *Dedekennum*, l. c. Sect. IIX. n. 10. *Balduinus*, L. IV. c. 6. cas. Consc. IV. *Ludov. Dunte*, cas. Consc. c. XV. Sect. I. qu. 2. & Sect. II. qu. I. *Brochmandus*, Syst. L. de Cœna S. c. X. cas. 30. *Mislerus*, cas. Consc. c. XV. Sect. I. qu. 2. & ex JCTis *Bened. Carpzovius*, Defin. Eccles. L. II. Def. 249. & Illustris *Dn. D. Nic. Christoph. Lynckerus*, disput. de eo, quod circa S. Cœnam justum est, Jenæ 1690. ventil. c. VII. §. 1. p. 90.

§. XXXV. *Utrum verò illi Contemptores S. Cœnæ adejus usum unquam cogi possint ac debeant?* ardua est quæstio. Ita status controversiæ formandus erit, ut præter præfractos Contemptores, etiam eos includat, qui usum
ejus

ejus spernunt & vilipendunt, diutius ab eo abstinendo, putantes, se absque jactura pietatis, aut periculo salutis æternæ à S. Eucharistia abesse posse, dummodo diligenter orent, verbum DEI audiant, peccata pro possibili fugiant, & vitam quoad fieri potest, piam vivant; atque sic quæsitum sit: Quid tum Ministri officium requirat? An hujusmodi peccatorem, suæ curæ commissum, per conscientiam suam, nolentem volentem possit vi adigere ad S. Cœnæ frequentationem? *Bened. Carpzovius*, *Defin. Ecclesiast. L. II. Defin. 226. 227.* & ex eo *Dn. D. Jo. Ludov. Hartmannus*, in *Pastor. Evang. L. III. c. 37. §. 18. p. 751. 752.* sentiunt: Contemptores, si omnem admonitionem ante factam neglexerint, comminatione carceris aut alterius cujusdam pœnæ ad meliorem mentem compellendos; immo tandem, si nondum accedant, autoritate Magistratus Politici expellendos esse, ipsisque injungendum, ut bona sua vendant, & alio migrent; Quorsum etiam *B. Dn. D. Kortholtus*, *Vir de Ecclesia meritissimus*, inclinatur in *dem gezwungenen Communicanten §. XIV. p. 17.* ita tamen, ut extrema hæc media non tam coactionis ad Eucharistiam, sed pœnæ ergo ob contumaciam, pronuntiet. Nos generatim ad quæstionē respondemus: Nullo casu cogi posse S. Cœnæ contemptores ad frequentandam eandem, ex multis causis; inter quas potissimæ sunt: (1) Periculum indignæ usurpationis, si ex formidine pœnæ accedant ad mensam Domini; quæ non nisi dignis convivis, qui conscientiæ teneritudine, & amoris in Christum zelo desiderant hoc Epulum, patere debeat. Peccata sic peccatis cumularentur, & ultimum malum priori pejus redderetur; coactus enim externa vi, sumens Sacramentum, qui corde & spiritu longe abest,

L

est,

est, comedit sibi ceu indignus iudicium. (2) Cultus DEI, cuius pars singularis, S. Cœnæ quoque usurpatio est, præstandus semper, cum εὐδοκία & προθυμία, ac Spiritu non coacto, sed spontaneo, certo, non dubitante ac vago. Ps. LI. 12. LIV. 8. CX. 3. CXIX. 108. 2. Cor. IX. 7. 1. Petr. V. 2. Quid ergò conaretur Minister verbi divini homines ad coactum, qui ingratus DEO odor est, cultum vi externa adigere? Optime *Damascenus* L. IV. ὁρθ. πῖς c. XX. ἀβίαστον εἶναι πρίπειτο καλόν. (3) Nemo ad fidem ullo modo cogi potest, ceu quæ in anima, quæ est Spiritus, residet; & assensus, sine quo fides nulla est, pro actu à voluntate elicitio, habendus; voluntas autem semper libera est, ut externa vi nec possit, nec debeat unquam cogi. Quî ergo contemptores Cœnæ ad profitendam in frequentatione S. Cœnæ fidem, & accipiendam fidei suæ, quam se non habere neglectu illo probant, confirmationē adigendi essent? Qui ad consequendum peccatorum remissionis, in S. Cœnæ fructum cogendi, qui nunquam dolent peccata commissa? (4) Omni usu caret illa coactio, quod optime *Nazianzenus* in *Apol.* agnoscit: *Grex DEI*, inquit, *per vim non est cobibendus, verum persuasione alliciendus. Nam quod tyrannicum sit minimeque laudandum, ne firmum quidem ac stabile est.* Ac *Hieronymus* Epist. ad *Philem.* pulchre scribit: *Nihil dici bonum est, nisi quod ultroneum est. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum.* Ita sentiunt Theologi nostri, *Mart. Lutherus* Tom. I. Jen. f. 435. b. zum ersten 2c. Ib. f. 513. alle die ungeru beichten/2c. f. 518. b. welche nicht willig sind/2c. T. V. Jen. f. 188. b. das Predigtamt hat Gott nicht dazu gestiftet 2c. *B. D. Jo. Forsterus*, *Theol. Vittenb. Thesauro Catech. Decad. III. de Cœna* Probl. IV. *Königius*, *cas. Catech. de S. Cœna*

Cœna cas. XI. p. 580. sqq. *D. Christ. Kortboltus* l. c. im gezwungenen Communic. Kilon. 1690. edit. & alii. Add. pii Jcti, *D. Jo. Brunnemanni* consensus, de Jur. Eccles. l. i. c. VI. membr. IV. n. 2. Tandem placet excerpere, quæ *Senatus Noricus* Rescripto 1647. ad Præfectum Ecclesiæ dato, hac de re n. 4. sancivit. Zum vierdten sollen sie wol betrachten/das es viel ein anders sey/die höchste Nothwendigkeit der Nießung des Heil. Abendmahls/einem Menschen fürtragen/und einen zu demselben zwingen. Jenes sollen sie nicht unterlassen/ für diesem aber sollen sie sich hüten dann wer allein aus Zwang hinzugehet/ der hat keine Reue noch Glauben/ und ist derowegen unwürdig; welcher unwürdigen Nießung eines solch gezwungenen Gasts/sich alle diejenige theilhaftig machen/so dazu geholfen haben/so billig zu menden/nach Apostolischen Befehl/ 1. Tim. V. 22. auff das man nicht auch etwas empfahe von ihren Plagen/ Apoc. XIIII. 4.

§. XXXVI. *Speciatim, quod concernit Carpzovii, & qui eundem sequuntur opinionem, distinctio ejusdem, qua longe diversum esse scribit, aliquem ad fidem cogere, & contemptorem fidei, quam jam amplexus est coercere, huc non quadrare mihi videtur; cum omnis fides, sive illam semel quis amplexus fuerit, sive adhuc declinaverit, sua debeat semper gaudere libertate, neque ulla eidem possit vis jure inferri. Et quid illa coactio, quid illa poena, quam ob neglectum S. Eucharistiæ, quis in corpore aut bonis sentit, fructûs secum fert, quæ vel obstinatos in sua malitia redderet obstinatiores, vel hypocritas & indignos Eucharistiæ convivas efficeret. Neque est, quod Dn. Hartmannus, ad blasphemos provocet, ac inter illos & contemptores Cœnæ S. comparisonem instituat; nam alia est ratio blasphemorum, quâ positi-*

vè & membro corporis, lingua peccant, adeoque corporis pœnam quoque luunt, & alia Contemptorum Cœnæ, qui negative tantum, omittendo usum Euchariſtiæ, impingunt. Quæ omnia tamen à nobis dicta, tantum valent, si præter contemptum S. Cœnæ, nihil criminis in auctoritatem Magistratus commiserint, aut alio quoquo modo, in Republica deliquerint; Tum enim pœna illa cœtera crimina respicere posset. Si vero quæ sit in contemptores hos pœna observanda, Ecclesiastica illa sit, qua ante severe admoniti, ut resipiscant, sed continuo contumaces, è publico suggestu, nomine excludantur, atque excummunicentur ab ordinato Ministro, ab externa communione Ecclesiæ, ceu indigni omnibus ejusdem beneficiis, ad præscriptum Christi, Matth. XIX, 15. seqq. datum. Vid. *Schelguigius* Cynos. Consc. qu. XXX. p. 260. Qui autem processus hoc in casu à Ministro Ecclesiæ, si quis negligat hoc Sacramentum, ad conscientiæ normam sit instituendus, brevi consilio practico, describemus. Sedulo attendendum erit verbi Ministro, qui sint in cœtu suo nimis negligentes circa S. Cœnæ usum, quos ideo ad se privatim convocet, illosque si cœterum pii, aliquo conscientiæ scrupulo retrahantur ab usurpatione, edoceat, nihil ipsis affectatam istam pietatem, & vitam, quam præ se ferunt, simplicem ac rectam opitulari posse, cum utrumque, & piè vivere, & uti Sacramentis institutis, sit verbo divino conforme, cujus si non nudi tantum auditores, sed etiam observatores esse cupimus, Jac. I. 22. necesse sit omnes Christi ordinationes fideliter exequi; Exaggerare poterit necessitatem hujus Epuli cum summa utilitate conjunctam; Urgere commoda & incommoda; pericula & bona proponere. Si vero cum præfracto Contemptore sit agendum, verbis severioribus erit

erit increpanda ejusdem malitia, animæ periculum ob oculos ponendum, atque eidem terror flammæ infernalis imminentis incutiendus, ceu qui periturus sit infragabiliter, nisi ad frugem redierit salutariter. Forsitan fiet, ut sic ultro accurrant, & ipsi se cogant Contemptores. Vide quas causas προκαταρκτικὰς, numero plurimas, pondere gravissimas, robore validissimas, quod *Forsteri* l. c. judicium est, ad frequentandum usum S. Cœnæ, apud Contemptores explicandas, præscripsit Megalander noster *Lutherus*, T. V. Jen. f. 189. - 102. in quas pulchre commentatus est *D. Paulus Tarnovius* optimo libro de Ministro Ecclesiæ L. II. c. 29. qv. 1. pag. 1033. Si vero nolint illam privatam admonitionem curare Contemptores, publice in templo, pro concione, seria exhortatione poterit illos adhuc semel Minister verbi ad usum sanctissimi Epuli adhortari, & comminatione excommunicationis solennis eosdem terrere, neque desistere, privatim sepius per vulnera Christi illos urgere ad curam salutis habendam, effectum piis precibus Deo committens, in cujus manu corda hominum sunt. Quod si ne his moveantur aliqui, sed omnis labor frustra impenditur, res tota ad Ministerium loci aut Consistorium erit deferenda, ubi denuo Contemptor ab omnibus admonendus est, & si omnino nolit mutare mores, excludendus ex consortio membrorum veræ Ecclesiæ. Vivant refractarii isti tum suo more, & si accidat, (quod proh dolor! exemplo domestico in Patria singulari, facili negotio possit illustrari, si officii ratio id postularet,) ut eo malitiæ se per Diaboli artes illi Contemptores, quos Confessionarius pro officii tenore peramanter & paterne admonuit, ut prospicerent suæ salutis, seduci patiantur ad pessima quæque audenda contra Ministrum verbi; tunc Magistratui Politico res erit committenda, & Summi Numinis, quod severe attendere solet in hostes suorum Ministrorum, vindictæ cum gemitu relinquenda. Dixisse se satis sciat Dei Minister & liberasse animas.

§. XXXVII. Quæstio huic argumento proxima erit: *An ad sacros actus admittendi, aut publicis in Republica officiis præponendi sint Contemptores Cœnæ S.* Sacros actus obire dicimur, quando susceptoris exempli gratia infantum è sacro Baptismatis lavacro, of-



ficio fungimur. Cum vero illi homines, qui negligunt S. Eucharistiæ usum, debeant excludi à communione omni Ecclesiæ non poterunt à quoquam conscienter ad hanc sacram spartam invitari, aut à Ministro Ecclesiæ admitti. Quomodo enim sponsores fidei ad Baptismum erunt, qui nullam habent fidem? Quomodo offerent DEO infantes è Baptismi fonte levandos, qui contemptui habent omnem cultum, DEO præstandum? Quomodo in honorem Sacramenti Baptismi aliquid præstabunt, qui vilipendunt Sacramenta à Deo instituta? Indigni illi sunt omni consortio humano; sacris actibus obeundis, ubi Dei res agitur, eo indigniores. Consuetudinem omnem impii hominis fugere jubemur, 1. Cor. V, 11. Ergo arceantur à sacris negotiis exequendis, ut publice detestemur illorum pessimos mores, & pudorem illis injiciamus, ut respiscant. Officiorum in Republica gerendorum alia quidem ratio, nec ea quæ sacrorum actuum sanctitas & religio est; sed tamen à Christianis iisdem præfici non debent, partim propter scandalum quod in conscientiis cæterorum oriri posset, evitandum; partim quod participes illius S. Cœnæ contemptus fiant, qui nihilominus committunt iisdem publicam Spartam. Digniores ad eam erunt, qui vitam Christiano dignam agunt, præ illis qui Christum moribus suis blasphemant. Leg. *Dunte* Cas. Consc. de S. Cœna qv. III. p. 556. Illustris Dn. *Sam. Strykius* Not. ad Brunnem. Jus Eccles. L. 1 c. 6. membr. IV. §. 2. tit. X. zu Gevattertschaften und andern Christl. Handeln nicht sollen zugelassen/pc. *Mengering* Scrutin. Consc. c. IV. qv. 33. p. 326. & c. XII. qv. 4. p. 1308.

§. XXXVIII. Hæc de exclusionem eorum ab honestis actibus, dum vivunt Contemptores Cœnæ: *Utrum illis post mortem concedenda sit honesta cadaveris sepultura?* brevissimis expediemus. De illis nobis sermo est, qui nulla opera, dum vixerant, ad usum S. Eucharistiæ persuaderi potuerunt, adeoque sine ejusdem perceptione, brutis simillimi, diem obierunt; non vero hos respicimus, quibus demum melior fuit de hoc Sacramento sententia, ut ad poenitentiam redierint, & acceperint tandem S. Cœnam. Ultimum quidem hoc humanitatis officium est mortuis ex naturæ jure exhibendum, terræ mandare defunctorum corpora; sed licet hic ab humaniore jure re.

recedere, & privare eosdem honestis, per campanarum pulsationem, cantus, & laudationes funebres, exequiis. Metuendum enim est, ne DEI nomine abutamur, quando divini verbi prædicatione & cantionibus in Ecclesia cohonestantur, qui præfracto ausu semper contemptui exposuerunt verbum Dei, ejusque Sacramentum, quamdiu inter mortales vitam degerunt. Summi Numinis consilio hoc conforme est, quod honestam sepulturam impiis juste denegavit, ut Jerobeami Regis domui, I. Reg. XV. & Jojakimo, filio Josuæ, Jerem. XXII, II. Careant præterea, Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastico consortio præcisi, nec in mortis etiam articulo Ecclesiæ fuerunt reconciliati, ut quibus vivis non communicavimus, nec defunctis communicemus. Exemplo & terrore hic opus est, ut cæteri horrore illo deterriti desipere dediscant, cautiore impofterum futuri. In summam contrahimus dicenda: Qualiter quis vixit, taliter etiam sepeliri eundem fas est, qui sine omni scilicet solenni ritu extra locum cæmiterii consuetum tumulandus, id quod *Lutherus* hac sententia pronuntiavit: Haben sie gelebet wie die Hunde und Säue/ so lasse man sie auch sterben/ wie die Hunde und Säue. Vid. *Dedekennus* Vol. I. Part. II. f. 1091. *Jo. Epinus*, Superint. Hamb. im Bedencken von Begräbnis gottloser Leute. *D. Andr. Keslerus*, Theol. Cas. Conf. c. XXXIX. p. 188. *Carpzovius* Defin. Eccles. 297. p. 454. & *Dn. Lynckerus* Disp. cit. c. 7. §. 4. p. 99.

§. XXXIX. Denique pro contemptoribus S. Cænæ etiam illi sunt habendi, qui ægrotantes, suspendunt diu usum hujus Epuli, divinumque illum victum, non nisi morti demum proximi, desiderant, ubi quidam eo insaniam nonnunquam deveniunt, ut blaspheme existiment, accelerare S. Cænæ maturum usum, ipsam mortis horam; quia in multis sæpe sit observatum, infecutum statim, postquam acceperint hoc salutare viaticum, vitæ terminum, id quod procrastinato hujus Sacramenti usu velint declinare, nescii, illos æternæ mortis periculo subesse, qui, dum morantur nimis & procrastinant S. Cænæ usurpationem, sine sumptione hujus divinissimi victus, misere decedunt. Illi, ad quorum exempla provocant, post acceptum Sacramentum quidem, non vero propter sumtum Sa-
cra-

cramentum obierunt; ceu qui morti quoque obnoxii erant, licet nunquam fuissent usi S. Coena: cum à Deo sit homini terminus vitæ destinatus, à nemine vel summa cura transcendendus, Job. XIV, 5. Obligamur ad frequentem communionis usum semper; quo magis officii cujuscunque erit, tum desiderio teneri anxio, sumendæ S. Coenæ, quando decumbimus, inficii omnino qui temporis articulus, quod momentum, animam nostram è carcere corporis ad tribunal Christi sit avocaturus. De Imperatore Ludovico Pio *Cesar Baronius*, Cardinalis, Annal. ad A. C. 840. narrat, quod per 40. dies ægrotaverit, & quotidie S. Coena usus fuerit, quo eo paratior promptiorque esset, ad nutum Dei, læto Spiritu, quando jussisset, moriendi. Non quidem necesse est, ut à decumbentibus, hoc exemplum singulare observetur; Laude interim non privandus est, piissimus Imperator, quod multis S. Coenæ Contemptoribus suo exemplo ruborem injecerit. Ita, charissimus Parens noster, *Schelguigius*, qui plura dabit, si conferre tibi libuerit ejusd. *Zeit. Stern des Gewissens* qv. XLIX. p. 419. seqq.

§. XL. Concludimus jam commentationem nostram, devotissimis ad summum Numen, pro præstito hucusque nobis divino auxilio, gratiis, precibusque ardentissimis, ut porro studia nostra, & quæcunque in honorem nominis ejus sumus suscepturi, sibi habeat semper commendatissima; Neque pium votum omittimus, ut accendat in nobis divina clementia fervorem ac pietatem, fruendi in salutem animæ nostræ æternam dulcissimo S. Coenæ Epulo; corda vero Contemptorum illius lapidea, divina virtute flectat, commoveat, atque emolliat; ut lachrymis acerbissimis doleant neglectum mensæ S. infaustum, ac tandem desiderio Corporis atque Sanguinis Salvatoris flagrent; in piorum autem animis fervet atque excitet magis magisque, hanc Coenæ Dominicæ cupidinem & avertat, ne dulcedine deliciarum mundi ducti, fastidio mannam hanc à cælo datam, unquam habeamus; ac denique benigne faciat, ut hoc ultimo cibo nutriti & firmati, ad cœlestia gaudia, per mortis deserta, læti fortesque transeamus.

Man-

Mantiffæ loco propter argumenti cognationem subjungimus huic dissertationi Alloquii exemplum, quo Contemptorem S. Coenæ, in Consistorio Academico, sub moderamine Summæ Venerabilis nostri Antistitis, Magnifici Dn. D. MAYERI, d. 26. Nov. 1704. instituto, exercitii gratia, ad resipiscendum, & frequentandam cum pœnitentia & cordis dolore S. Synaxin, adhortati fuimus:

Argumentum in Consistorio propositum erat sequens:

PETRUS Hartkopff ist für das Consistorium gesordert/ weil er in langer Zeit nicht zum Heil. Nachtmahl gewesen/ ihm solche seine Sacraments-Verachtung zu verweisen/ und zu heiltiger Sehnsucht nach dieser Hochheiligen Speise anzumahnen. Wird also ein jeder von denen Herren Assessoribus auf eine gründliche und durchdringende Zuredede sich geschickt machen/ diesen verstockten Menschen zu gewinnen.

Sequitur ipsa Allocutio nostra:

Du zwinget uns deine hartnäckigte Bosheit; Du Schandfleck/ und nicht Gottes Kind/ du verstockter Sünder! daß wir dich hie öffentlich vorfordern/ und bevor wir dich gänzlich aus der Christlichen Gemeine stossen/ nochmahls uns bemühen/ ob wir nicht aus Gottes Wort dich noch zu anderen und gesunderen Gedancken bringen/ und deine arme Seele aus dem Machen des Teuffels und dem ewigen Verderben reißen und gewinnen können. Ich lege dir zwar den Titul eines Sünders bey/ ja du bist es auch/ ein Mensch der in Tod- Sünden gänzlich steckt/ und an dem von der Fußsohlen an/ bis an den Scheitel nichts gesundes zufinden ist/ aber ach! daß du es selber wüsstest und bedächtest/ daß du unter der Herrschafft der Sünden/ wie ein elender Knecht dein Leben zubringest/ so würdest du vielleicht den Heiligen Geist auch in dir Neue und Leid würcken lassen/ und zum Zeichen deiner Befreyung dich des Heil. Fisches deines Gottes gebrauchen. Du Abendmahls-Verächter bist der Magd Sohn/ die zur Knechtschafft gebiehet/ unter die Sünde verkauft: aber was spricht die Schrift: Stoß die Magd hinauf mit ihrem Sohne/ denn der Magd Sohn soll nicht

M

nicht

nicht erben mit dem Sohn der Freyen. Bedencke das mein Freund/
die Erbschafft der ewigen Freyheit und Seeligkeit die ist dir abgespro-
chen/du bist enterbet/und hast/wo du in deinem bösen Vorsatz verharrest/
keine Gemeinschaft der Hoffnung zur Seeligkeit. Das höllische Feuer
und die ewige Pein/das ist der Sünden Sold/das ist der Lohn/der auff
diese Knechtschafft folget/ ja du wirst aus einem Knechte der Sünden/
endlich ein leibeigener des Teuffels. Stoß die Magd hinaus mit ihrem
Sohne. Haussen sind die Hunde/lehret Johannes; und wiewol rei-
met sich diese Benennung auf dich? Denn der theure Heyland Iesus
leget den Verächtern der angebotenen Gnade Gottes ausdrücklich den
Namen der Hunde bey/wann er befiehet: Ihr solt das Heiligthum
nicht vor die Hunde werffen: Du aber/in dem von dir die Heil. Gaben/
die uns Gott in dem Gebrauch des Hochheiligen Abendmahls gnädig-
lich schencket/und welche wir dir mit so grossem Eysen darbieten/dennoch
so verstockt und böshafftig verachtet und verworffen werden/was bist du
anders als ein nichtswürdiger Hund. Jenes Cananeische Weiblein/als
sie von Christo auch einem Hunde verglichen war/verlangte sie nichts
mehr als nur von den Brosamen/die von ihres Herrn Tische fallen/ihre
Speise zu haben. Siehe/dein Iesus hat dich viel zu lieb/das er dir nur
die Brosamen seines Heil. Tisches reichen wolte/du solt ein Gast selbst an
diesem Tische seyn/du solt mit Iesu in die Schüssel tauchen/sein Leib und
Blut/bedenck es nur recht/in/mit/und unter dem Brodt und Wein/wird
dir des HErrn Leib/und das Rosenfarbe Blut deines Iesu zur seeligen
Genießung vorgeleget. Was meynest du/wenn dich ein grosser Herr
in dieser Welt zur Taffel würde laden lassen/würdest du nicht mit al-
len Freuden dich einstellen; und erwege es doch/ hier wil dich Iesus
an seiner Taffel/die dich der himmlischen und ewigen Freude versichert/
sehen/ du aber verstopffest deine hartnäckigte Ohren/ und wilst nicht
folgen. Du elender Mensch! wie hat Satanas dein Herz also er-
füllet? Christus spricht: Komt her zu mir alle die die ihr mühselig
und beladen seyd/ich wil euch erquicken; und du wilst lieber unter der
schweren Sünden-Last unterliegen/ als deinem Iesu/ nicht zu seinem/
sondern zu deinem eignen Seelen-Nutzen/gehorsam seyn. Demem
Iesu geht nichts ab/ob du seine Gnade annimmst/ oder ob du dem
Herz/ da er vor dasselbe anklopffet/vor ihm müthwillig verschliessest;
Er wil zwar nach seiner grossen Liebe und Barmherzigkeit/das alle
Menschen/ob sie gleich alle in Adam den ewigen Tod verwircket/den-
noch seelig/ und niemand verlohren werde; Wann sie aber verstockt
widerstreben/ so tritt die Gerechtigkeit Gottes hervor/ und urtheilet
nach

hac viâ proficere posse, ut in percipi-
ceptione communis cibi, tantam
percipiat gratiam, ac si Sacramentum
Eucharistiæ acciperet. Fundamentum
erroris positum est in perfectione viri-
um nostrarum quoad spiritualia, quam
crepant etiam Pietistæ, qui notantur,
speciatim *Balth. Kæpke & Petersenia*.
Provocatur ad Loca Codicis S. Rom.
VII. 14. II. 23. 1. Theff. V. 10. Appli-
cantur ad devotionem, quæ tres partes
habet, fidem, spem & charitatem. Ex-
plicatur infirmitas fidei nostræ, viri-
umque ad devotionem perfectam. Ad-
versarius fit reus criminis, quod non
discernat Corpus Domini. Extra usum
Sacramentalem, panis & vinum, nihil
sunt, nisi vulgaris cibus. Manducatio
verò Sacramentalis confert gratiam
Sacramenti.

§. XIV. Errat *Grotius*, invisibilem
& sine symbolis communionem satis
ad salutem esse credens. Argumenta
recensentur hujus sententiæ, una cum
connexionem Historica, & qui confuta-
verint eandem. *Petavius & Cloppen-
burgius*.

§. XV. Solvuntur scrupuli Consci-
entiæ circa necessitatem S. Cœnæ, ex
dicto, Marc. XVI. 16. desumpti, &
quod Remissionem peccatorum, jam
in Absolutione consecuti simus, ut
supervacaneum sit hoc Sacramentum.
Qui fugit S. Cœnam, probat se fidem
non habere. Singulare DEI benefi-
cium fuit, plurimis modis nostræ im-
becillitati consulere.

§. XVI. Necesitas S. Cœnæ, & Obli-
gatio ad eandem Christianorum de-
monstratur. Merito Lutherus hoc Sa-
cramentum inter quinque fidei capita
Catechismi numeravit? Secuti sunt Re-
formati hoc institutum, Necesitas alia
est præcepti, alia indigentia, alia finis.
Habemus verbum mandati, promissio-

nis, & comminationis. Obligatio mo-
ralis alia est connata, alia adventitia;
Utraque nos obstringit ad S. Cœnæ u-
sum. Excipe, cum occasio frequentandi
hoc Sacramentum deficit.

§. XVII. XIX. Ad cœtera dubia, quæ
solent obverti, pedem promovemus.
Errat *Christ. Democritus*, descriptus
brevisimis à nomine & vitæ ratione,
statuens: in Ecclesiis Lutheranorum jam
à longo tempore hoc Sacramentum
non fuisse amplius juxta institutionem
Christi celebratum. Impia verba De-
mocriti adducuntur. Castigatur effrœ-
nata conviciandi libido. Distingui inter
essentialia & accidentalia S. Cœnæ. Illa
mutari nequeunt; hæc sunt adiaphora.
Dist. inter Ecclesiam plantandam &
plantatam; contra *Aut. Præf. der Be-
kehrung Rosenbachii*.

§. XIX. Errant, qui abstinendum
esse à S. Cœna statuunt: quod Minister
sit impius vel alii quoq; indigni simul
accedant. Contra *God. Arnoldum*, cu-
jus hac de re cum *Quedlinburgensi-
bus* Controversia, & verba incauta re-
censentur; *Democritum*, nec non *La-
badistas*.

§. XX. Defenditur efficacia Sacra-
mentorum ab impio Ministro distribu-
torum negata. *Dn. D. Langii* retracta-
tio sanæ sententiæ notatur.

§. XXI. Defenditur tuta cum indi-
gnis communio. Objectiones *Arnoldi*
ad Exemplum *Judæ*, & de *Lutheri* lo-
cis, refelluntur.

§. XXII. Quær. I. An propriæ indi-
gnitatis consideratio arceat à S. Cœnæ
usurpatione? Neg. contra *Rosenbachii*.

§. XXIII. Quær. II. An lites publicæ
seu forenses, vel etiam inimicitia, ex-
cusent neglectum Eucharistiæ? Resp.
Non excusant inimicitia quidem, inte-
rim tamen arcent. Lites per se, nisi cum
vindictæ cupidine, non obstant.

§. XXIV.

§. XXIV. Quæst. III. Quid cum Abstemiis in S. Synaxi sit agendum. Tres sunt Theologorum à tempore Lutheri sententiæ. I. solo pane contentos esse debere, quæ est Brentii. II. Guttulas aliquas vini benedicti cum aqua miscendas esse, quæ est Viti Dieterici. III. Prorsus abstinentium illis esse, quæ est Lutheri, cui suffragamur. Illi pro Contemptoribus non sunt tenendi. Singulare *D. Matth. Hoë*, qui Abstemius fuit, Exemplum. Consensus Doctorum Theol. cum Luthero.

§. XXV. Explicato hactenus capite: An sit communicandum? Jam disquir.: Cur sit communicandum? Commendatur Introductio *Hæpffneriana* ad S. Cœnam, quæ optime explicat doctrinam de S. Cœna.

§. XXVI. XXVII. XXVIII. Errant, qui negant hoc Sacramentum esse mysterium, & medium salutis peccatorumque remissionem in eo conferri; Contra *Socinianos, Curcellæum, Remonstrantes, Latitudinarios in Anglia, Hobbesium, Liberium à S. Amore, Quackeros, God. Arnoldum, Christ. Democritum, & Autorem der 12ten teutschen Hällische Anmerckung.*

§. XXIX. Demonstratur nostra sententia ex natura fœderum & verbis institutionis expressis.

§. XXX. Sequitur novum argumentum: Quoties sit communicandum? Errant *Petrobrusiani*, qui S. Cœnam veluti Baptismum non iterandam esse docuerunt.

§. XXXI. Communio illa frequens debet esse. Controversia hac de re inter *Petrum de Sesmaisons, Jesuitam Gallum, & Anton. Arnaldum, Doct. Sorbonnæ*; Commendatur *Jos. Arndii Tract. de frequenti communione.*

In primitiva Ecclesia sæpissime accesserunt ad S. Cœnam propter persecutiones. Toties repetenda est communio, quoties illum usum S. Cœnæ, Conscientia à peccatis pressa requirit.

§. XXXII. Ultimo disseritur: Quando sit communicandum? Illustratur ille discussus ex *Historia Ecclesiast.*

§. XXXIII. Non itato tempore ad sacrum hoc epulum venire oportet. Errat *Ant. Anonymus, de abusibus S. Cœnæ*, qui eandem non nisi in Paschate anniversario & solenni ritu ab hominibus Christianis simul celebrandam esse opinatur.

§. XXXIV. Constat ex his, qui sunt Contemptores. Quæ. An pro Christianis habendi? Neg. Rationes & Testimonia Theolog. hac de re.


§. XXXV. XXXVI. De Coactione ad S. Cœnæ usum. *Hartmannus & Bened. Carpzovius* approbant. Neg. à nobis. Rationes adducuntur & Theolog. testimonia. Quomodo sint adhortandi ad frequentationem Eucharistiæ Contemptores, Consilium Prædicum;

§. XXXVII. An contemptores ad ætus sacros admittendi, & publicis officii præesse possint? Neg. Fiunt participes illius contemptus, qui concedunt iis accessum.

§. XXXVIII. Utrum illis sit deneganda sepultura honesta? Aff.

§. XXXIX. Etiam illi sunt contemptores S. Cœnæ, qui agrotantes, morti denique proximi desiderant hoc salutare viaticum.

§. XXXX. Concluditur dissertatio pio voto; & Mantissæ loco adjicitur Allocutionis Germanicæ ad Contemptorem S. Cœnæ persuadendum, Exemplum.



§. III. Non potest crimine notari Ecclesiae nostrae consuetudo, quod, licet matutino tempore, aut circa meridiem celebretur Sacramentum, Cœnæ tamen titulum retinuerit; Contra *Quackeros*.

§. IV. Matutinum tempus cur huic sacro negotio sit destinatum? Controvertitur *cum Autore Comment. de abusus S. Cœnæ*, non ideò illud in prandium aut jentaculum impie mutatum esse. Resp. ad object. à Christi actione, verbis institutionis, & Augustini testimonio petitas.

§. V. Cur destinata sit huic actui à Christo vespera? Primi Christiani retinuerunt hunc morem partim ex libertate, partim ex periculo persecutionum. Hodie in arbitrio posita est Ecclesiae, circumstantia temporis. Sacrament. Cœnæ dicitur à prima Institutione, ut Sacrament. V. T. Agnus Paschalis à transitu semel in Ægypto factò.

§. VI. *Dominica Cœna* dicitur (1) intuitu Autoris, qui est J. C. Dn. noster. (2) ratione Ciborum, qui sunt corpus & sanguis Domini. (3) Resp. Finis; in memoriam mortis Domini. (4) Intuitu diei Dominicæ, quo celebrari consuevit.

§. VII. *Contemptores Cœnæ* illi nobis dicuntur, qui non tam contemptim de ea sentiunt, quos notavimus; sed qui nullo impedimento præpediti, tanto tempore omittunt Eucharistiæ frequentationem. Autoritas Lutheri. Distingvimus inter Theoreticos & Practicos.

§. VIII. Non omnes statim sunt Contemptores, qui non frequentant Cœnam S. Excipiuntur, qui vel errore implicati, vel tentatione seducti, aut alia ex causa, usum S. Cœnæ suspendunt, usque dum rectius de Er-

rore & scrupulis conscientiae informati. Via paratur ad recensenda hæc ordine Conscientiae dubia, eaque solvenda.

§. IX. Generatim illis, quos conscientiae teneritudo arceat à Sacramento, ad *Welleri* monitum, proponendum est: Quod illæ cogitationes omnes à Diabolo oriantur, studiose, ut hoc fidei remedium exosum reddat. Tum commemoranda sunt Exempla eorum, qui idem fatum experti, sed feliciter debellarunt Sathanæ fraudes, idque iterato usu S. Cœnæ. Exempla *Lutheri & Welleri*.

§. X. Cumulandæ rationes, pro frequentanda S. Cœna, quæ sunt (1) ipsa Christi voluntas, (2) fruenda peccatorum remissio (3) imminens animæ nostræ periculum, (4) Fidei nostræ confessio, (5) Bonum omnibus exemplum dandum.

§. XI. Ad Conscientiæ scrupulos speciatim indicandos, erroresque refellendos pergimus, ubi potiora ex instituto, cœtera historicè tantum attingere nos posse, per receptæ methodi leges dicimus.

§. XII. *Labadistæ* notantur. Illorum Historia cum scriptis ab utraque parte recensetur. Errant cum dicunt: Sacramenta, non esse ut media salutis, ab omnibus usurpanda, quia DEUS plurimorum hominum partem, quam peccaturam prævidit, ex absoluto quodam Secreto, damnaverit. Urgentur scripturæ dicta. Ezech. XXXIII. 11. 12. Num. XXIII. 19. Errat *Schurmannia*, Christum non absolute dixisse: Facite hoc, sed liberum reliquisse. Invertitur illius argumentum. Libertas circumstantiæ temporis, sed non ipsius rei conceditur.

§. XIII. Errat *Bartholdus de Robbach*: hominem devotum eousque in hac

AD LECTOREM Allocutio Præsidis.

Habes hic B. L. Commentationem Academicam de S. Cœnæ Contemptoribus, tenui opera conscriptam. Occasionem hujus scripti dabit tibi ipsa præmissa Præfatio. Quatuor capitibus quasi totum argumentum inclusum est. I. An sit communicandum? II. Cur sit communicandum? III. Quoties sit communicandum? IV. Quando sit communicandum? Quæ quæstiones ad ipsorum Contemptorum S. Cœnæ naturam, conditionem & fata tibi adumbranda, viam nobis pararunt. Operam cæterum dedimus, ut controversias potissimum recentiores, tam illas, quæ nos propius attingunt, quam etiam Exoticas notaremus. Refellere adversariorum objecta omnia, & fusius ad eadem respondere, per dissertationis argumentum, quod ferè practicum est, nobis non licuit. Quando interim impugnavimus quadam, omni animi modestia, & lenitate Christiana id factum esse, experieris. Calamum ad Scripturæ controvertendi stylum accommodavimus. Ab omni altercandi, convitiandi, & sit venia verbo, hereticandi studio alieni sumus. Nullum per scommata & contentiones inclarescendi desiderium, nos in scenam produxit. Tantum Veritatis & æquitatis amore trahimur. Tu, qui legis hæc, quisquis sis, suscipe laborem, & ab omni præjudicio immunis, dijudica, conatusq; nostros insontes æqui boniq; consule.

SUMMARIA DISSERTATIONIS.

Sacramentum Eucharistiæ, stylo Biblico Cœna Domini appellatur. Contra Maldonatum & Jesuitas Dillingenses.

§. II. Ratio appellationis est (1) ipsa institutio Cœnæ, nocte à Christo facta; quæ locutio Scripturæ S. non est

figurata: Contra Calvinianos Embdenses. Notantur Berolinenses Reformatores, quod negarunt luminaribus Christum in prima Cœnæ administratione fuisse usum. (2) Debuit noctu fieri, quia post Agni Paschalis esum celebrabatur.

X

§. III.

nach unseren Wercken/welche dann leyder die elende Menschen in das
höllische Feuer verweist/dahin/wo ewiges Heulen und Zehnklappen ist.
Was Christus zu allen spricht; Kommet her zur Hochzeit/es ist alles
bereit/das gehet auch dir an; gleichwie aber jener/der ein groß Abend-
mahl machte/es sehr übel deutete/ da die eingeladene Gäste sein Bit-
ten nicht lassen bey sich statt finden/ also wird endlich der langmüthi-
ge Gott auch zornig/er embrennet in Zorn/ wie ein verzehrend Feu-
er/und läffet sich mit donnerndem Eifer hören: Ich sage euch/ daß der
Männer keiner die geladen sind/mein Abendmahl/das ist/ die Früchte
dieser heiligen Genießung/Leben und Seeligkeit/schmecken wird. Ich
verfihere dich aus Gottes Wort/ du kanst das schreckliche Urtheil
unausbleiblich auff dich richten/ so bey dem Mattheo zu lesen: Gehe hin
von mir/du Verfluchter in das ewige Feuer/das bereitet ist den Teuf-
eln und seinen Engeln. Hast du nicht gelesen/wie kläglich der reiche
Mann in der Höllen zu dem Himmel schrie. Vater Abraham erbar-
me dich mein / und sende Lazarum/daß er das eufferste seines Fingers
ins Wasser tauche/und fühle meine Zunge/denn ich leide Pein in die-
ser Flamme. Armseeliger Mensch! noch hast du Zeit dich zu beden-
cken/ so lange es noch heute heute heist/du solt zur Kühlung in deiner
Sünden: Angst nicht nur das Eufferste deines Fingers ins Wasser
tauchen/ sondern du kanst von dem lebendigen Wasser/ welches aus
der milden Seite deines JESU floß/ so viel und so oft trincken/
als deine Seele unter ihrer Sünden-Last/darnach dürstet. Du kanst
in dem Rosen-Blute des vor dich/ o der unaussprechlichen Liebe/ vor
dich und alle Menschen gecreuzigten JESU ganz und gar baden
und waschen/daß du Schnee-weiß werdest; Verachtest du aber dieses
alles/ nach dem Tode heisset es: Du hast dein Gutes empfangen in
diesem Leben. Nun so ändre dich mein Freund / laß ab vom Bösen
und thue Gutes/ bessre dich/ bessre dich und verachte nicht mehr den
Heil. Fisch/ auff welchen deine Seeligkeit lieget. Bessre dich/ erkenne
deine Sünde/ fall deinem JESU zu den Füßen/ schlage an deine
Brust/ und sprich: Gott sey mir Sünder gnädig; stelle dich drauff
mit wahrem Glauben und ernstlicher Andacht bey der Taffel Jesu
ein/und erquickte dich daselbst mit den himmlischen Gaben nach Ver-
gnügen/ so wird es deiner Seele wohl seyn. Widerstrebest du aber
und bleibest auff deinem verstockten Sinne/ so fahre hin/ wir sind un-
schuldig an deinem Verderben. Wie du glaubest/so lebest du/wie du lebest/
so stirbest du/wie du stirbest/so fährest du/nehmlich in den aufgesperr-
ten Thüren der Höllen zu allen verfluchten Teuffeln.



Corrigenda.

P. 13. l. 3. pro aretque l. arcetque. ib. l. 16. pro an-queat
l. an queat. l. 21. procrastinari l. procrastinare. l. 27. 28. ita lege:
mensam Domini adire cunctati sunt & procrastinarunt. l. 29.
post impedimenta, adde: & tentationes. l. ult. pro commu-
nicare l. communionis usum. p. 14. l. 8. pro confudisse l. pro-
fligasse. p. 15. l. 22. pro quo l. à quo. p. 17. l. 22. pro in Guasio-
nia l. è Guasconia. p. 22. l. 26. fidem scil. interruptam, l. fidem
scil. non interruptam. p. 23. l. 15. pro otiosiore l. negotiosio-
rem. l. 22. post proficere adde devotio. p. 24. l. 6. pro-est
quod l. res est, ut. p. 26. pro eos l. eas. p. 27. l. 9. pro suæ l.
ejus. p. 30. l. 3. pro adducti l. addicti. & circa finem, pro impe-
trata lege imperata. p. 76. pro §. XXXI. lege XXXII. p. 76. l. 17.
pro atpue lege atque. p. 77. l. 26. pro celibrandum lege cele-
brandum. Coetera L. B. ipse emendabit.